ptionem aboleret, ac nouas tabulas magnifico edicto inſtitueret.

## ALEXII COMNENI.

### I. *De ætate ineuntium officia.*

DE iis autem qui in imperfecta ætate officia aut dignitates ſuſcipiunt, repoſitum eſt in publicis ſecretis edictum D. Alexij Comneni, ſemper celebrandi Imperatoris, illud etiam cognoſce. Habet ita ad verbum.

MVLTI vbi ob denunciatam Reipublicæ aliquam vtilitatem, aut per ambitionem, qualemcunque dignitatem vel officium aut capere, aut permutare, aut vendere petierunt: ea in paruos pueros transferunt. Ne igitur hoc fiat: neque tales imponere aut decipere conſpiciantur: ſtatuit imperatoria mea maieſtas, vt quicunque dignitatem vel officium, ſiue propter denunciationem, ſiue propter beneuolentiam aliquam, ſiue per commutationem, ſiue in munus & per largitionem, aut dum animum noſtrum oblectamus, ab Imperatoria mea maieſtate acceperit: ne quempiam qui honoretur, viginti annis minorem admittat. Quin omnes quicunque per eaſdem cauſas aut dignitatem aut officium accipiunt, maiores viginti annis ſunto. Quando vero Imperatoria mea maieſtas non propter talem cauſam, ſed nulla cauſa interueniente honorauerit quempiam, aut officium donauerit, tametſi honoratus viginti annis minor fuerit, citra dubitationem tamen illi inſeruntur. Reponatur igitur præſens hæc tabella inter chartas ſecretorum noſtrorum, ad oſtendendam imperandi gubernandique Imperatoriæ meæ maieſtatis rationem, vt hoc modo deinceps in omne futurum tempus efficaciam habeat. Debet autem in eius qui citra medium honoratur, tabula adiici: Inſeritor, non impeditur per edictum de iis qui minores viginti annis honorantur, ab Imperatoria mea maieſtate factum. Ac verò eſto hoc ſignum eorum, qui (vt dictum eſt) citra cauſam mediam honorantur, tanquam Imperatoria mea maieſtas hoc ſciuerit. Menſe Ianuario, indictione quinta, per Imperatorem.

### II. *De nuptiis amitæ & fratris filiæ cum filio fratris & patruo.*

EXtat iuſſio ſemper celebrandi Imperatoris domini Alexij Comneni, ad ſuggeſtionem proedri illius & hetæriarchi Bardæ Zeri, menſe Martio, indictione decimaquinta edita, & ad illius temporis ſanctiſſ. patriarcham dominum Nicolaum ac ſanctam diuinámque ſynodum miſſa, quæ amitam & fratris filiam cum patruo & fratris filio, tametſi ſexti gradus cognationem ex affinitate obtineant, citra impedimentum iungi ſtatuit. Quam iuſſionem ſynodali ſubnotatione, quæ in memorati patriarchæ domini Nicolai codice reperitur, inſertam legas.

### III. *De ſponſalibus Nouella celebrandi Imperatoris domini Alexij Comneni, emiſſa menſe Iulio indictionis ſeptimæ anni (ab orbe condito) 6592.*

SPonſalium nuptiarúmque terminos vetuſta ſuperiorique ætatis legiſlatio longè ſeparauit: horúmque interuallum magis quàm Myſorum & Phrygum prouerbium, notum fecit. Verùm quæ ſub felicis memoriæ patriarcha domino Ioanne Xiphilino ſynodi opera confecta eſt ſubnotatio (cui etiam perpetuò inter Imperatores celebrandum dominum Nicephorum Botaniatem per aureæ bullæ ſcripturam authoritatem largitum eſſe compertum eſt) quæ multum inter ſe diſtabant, in vnum contraxiſſe cernitur. Qua ratione quod ſynodica deciſio de nuptiis promulgarat, hoc illic difertis verbis de ſponſalibus cenſet, duobus fratribus duas patrueles ſponſare non permittens. Atque promiſcua quidem plebs indiſcriminatim rem aggrediens, & ſe in ſynodalis ſtatuti ſenſum mergere prorſus nequiens, ſine ratione quidnam ſponſalia eſſent fingebat, neque quo pacto cautius firmarentur, exactè conſtituere valebat. Interdum etiam mentis ſuæ inconſiderantiam aduerſus abſolutam eccleſiæ normam venditabat. Verùm Imperatoriæ noſtræ maieſtatis pietas peritiùs conſiderationem auſpicata, vbi apparentem contrarietatem rectè diiudicaſſet, per præſentem legiſlationem optimam adinuenit conſonantiam. Poſteaquam enim vetus lex ſponſalia in ſola contrahentium voluntate conſtituit, nihilque amplius quàm de conſenſu, inſtrumentis atque ſponſalitiis arrhis elaborat: nobis autem vitæ negotia ad longè ornatius magiſque ſacrum diuina gratia deuenerunt incrementum, atque hinc non nuptiæ ſolùm, verumetiam ſponſalia peragendam ſacram benedictionem ſibi coniunctam habent: ac certum tempus primæ coniugum coniunctioni per recentiorem ſapientiſſimi Imperatoris domini Leonis ſanctionem eſt promulgatum (in maribus nempe annus ætatis decimuſquintus, in fœminis decimustertius: quod profecto tempus ad perfectam coniugum cohabitationem vetus lex ſufficiens eſſe iuſſit) nefarium eſſe potentia noſtra iudicauit, vt per præſens oraculum firmiter definiat, propriè illa eſſe ſponſalia, & reuera ſecundùm exactæ ſynodalis normæ conſiderationem cum nuptiis æquipollere, quæcunque tempus quod Imperatoris D Leonis ſanctio determinauit, integrum ſibi habuerunt, & ſacra benedictio conſecuta eſt: atque in illis ſynodalis deciſionis obſeruationem valere debere. Si namque contrahentium alteram partem morte fortè aliòve fortunæ caſu, aut ſententiæ mutatione recedere, ad aliudque vitæ conſortium transferri contingat: non exiguus hic abſurditatis tractus exiſtet, ſi præambulæ nuptiarum preces in ſponſalibus peractæ, tanquam vanum aliquid & temerè accumulatum reputentur, & indiſcriminatim ea res intelligatur, quaſi ſi Deus per ſponſalia inter coniungendas perſonas introductus non eſſet. Hoc autem commemoratus celebris Imperator rectè ſequutus, ſancti vniuerſaliſque ſexti Concilij canonem, qui ſponſam, dum ſponſus adhuc in viuis eſt, cum alio in matrimonij conſuetudinem coire vetuit, adulterium rem manifeſtè ſtatuens: cum aperta veteris legis contrarietate pulchrè conciliauit. Quoniam poſt benedictionem ſponſis factam, ſeparatio ea ſecundùm eius vocem iuſtorum ſponſaliorum eſt ſolutio. Quòd ſi ſponſalia quædam ſecundum multorum conſuetudinem congruenter iam contracta fuerint, & inſtrumenta confecta ſint, nondum autem ſtatutum tempus, quo Chriſtianis debita benedictio fieri conſueuit, aduenerit, neque ſolennes ſuper deſponſatis preces per ſacerdotem pronuntiatæ fuerint: hæc ſponſalia quantum ad exactam eccleſiæ diſſertationem, neque eſſe, neque dici iuſta poſſunt: neque vero aduerſus hæc ſynodalis ſubnotatio efficaciam habet: ſed tanquam hominum placita ſimpliciter per ſtipulationes confirmata, authoritatem ferunt, vetuſque legiſlatio in illis firmitatem obtinet. Hoc enim pacto cum vetuſta lex, quæ anteà de ſponſalibus promulgata eſt, integra conſeruabitur: tum ſynodi iudicium ſecundum hic (poſitam) obſeruationem & intellectum & interpretatum, intactum atque intentatum cuſtodietur. Quandoquidem vero hæc ita ſunt explicata, & hæc vera ſponſalia deſignata ſunt, quæ cum ſacra benedictione,



dictione, ſtatutóque tempore peracta eſſe noſcuntur, quæ verò ſecundum antiquiorem legiſlationẽ fiunt, velut hominum placita ſtipulationibus conſtabilita vim habere, atque ſoli priſcæ legi, quæ certas perſonas ad ſeiunctam ſponſam ingredi prohibitas recenſuit, in his valere conceſſum eſt: quidam cum conueniente Chriſtianis honeſtate coniunctum, præſenti oraculo nunc etiam addi oportet. Quia enim non ſecundum exactam conuenientémque rationem veteris nouæque legiſlationis decreta peragebantur, ſed promiſcuum vulgus antiquiori legum authoritate adhæreſcens, poſt ſeptennale tempus citra dilationem ſponſalia celebrabat, ac pro arbitrio quiſque ad deſponſatas ingrediebatur, continua conſuetudine atque libertate congreſſus ad colloquia amoris flammam accedens: ſacratior autem pars Nouellam Imperatoris iuſſionem ſequuta, inter ſponſalia & nuptias diſtinctionem ponebat, primùm preces ſponſalitias, ac deinde matrimoniales coniungendas accipiens: atque coniunctim ſimul & eodem tempore, quando interea vel minimum quiddam incideret, iſtæc perficiebantur; & ſponſalia nuptiæque vno ſpatio peragebantur: hoc tanquam ſine diſquiſitione fiat, noſtra pietas corrigens per præſentem generalem iuſſionem ſancit, vt qui ad annum contrahentium ſeptimum & deinceps vſque ad decimum quartum aut duodecimum velut imaginarij ſponſaliorum cõtractus fiunt, legitimorum firmorúmque ſponſaliorum vicem non obtineant: ſed tantùm tanquam confirmatæ ſtipulationes habeantur, atque ſecundum aliorum contractuum naturam operentur. Et ad hũc quidem modum apud omnes ſubditos noſtros illa obtineant: vt tamen interim vetus lex, quæ de ſponſalibus promulgata eſt in perſonas ad ſeiunctam ſpõſam ingredi prohibitas plenam efficaciam habere debeat: ídque quò is ſtatus quem in Chriſtianorum repub. vigere conuenit, augmentum accipiat. Nam tametſi ea res ſecundum exactam rationem perfecta ſponſalia non ſint: attamen quia quod agitur, ſponſaliorum propoſitum habere videtur, atque inde nuptiarum fundamentum iaci incipit: magna profectò ratio eſt, quamobrem à lege prohibitæ perſonæ iterum impediantur, adeóque nemo impudenter procari præſumat, vt in vxorem aſſumere audeat, quàm vetus lex ſponſam alicuius factam, diremptis ſponſalibus in alterius manum conuenire non ſinebat. Verùm tamẽ vbi id tẽpus aduenerit, quod ſpõſalibus ſimul & nuptiis conuenire iudicauimus, (vbi nempe fœmina duodecimum annum, maſculus verò decimum quartum exceſſerit) tunc in primis ſponſalia decantandis ſacris precibus, illorúmque ſolennibus (arrha videlicet, gratóque deſponſatis oſculo) obſeruandis perficiantur: atque deinde exiguo longioréve tempore, quomodo contrahentibus viſum fuerit, intermiſſo, citra recuſationem legitimæ etiã nuptiæ nuptiæ procedant, non autem multum diſiunctæ res ſimul vno die, & ſæpe vna hora effectum ſortiantur. Taliter enim ordine in nuptiis procedente, cùm lex vetus, quę prohibitarum perſonarum catalogum fecit, illis non permittens, ad ſeiunctam cognatæ perſonæ ſponſam ingredi, obſeruabitur: tum ſapientiſſimi Imperatoris Nouella iuſſio decorè in omnibus & valere & in Repub. obtinere conſpicietur, quin & contrahentes perſonæ ab intempeſtiuis & indecoris congreſſibus coercitæ, caſtam vitam ducent, oportuno tempore, quando ſponſalia nuptiáſque ipſis perfici conueniet, cum ſacra inuocatione inuicem congreſſuræ. Quòd ſi quis contrà atque præſenti potentiæ noſtræ conſtitutione prohibitum eſt, ſponſalia conficere præſumpſerit, neque hæc generaliter & aduerſus omnes promulgata, quæ in poſterum obtinere debent, ab ipſis calendis ineuntis menſis Iulij inſtantis 7. indictionis, anni 6592. ſequi viſus fuerit, & ante legitimum tempus ſacramque benedictionem arrhas paciſci fuerit auſus, aut etiam in mutuum conſpectum contrahentibus perſonis conuenire, atque inter ſe promiſcua omnia habere permiſerit: tabellio qui arrhabonicum contractum conſcripſerit, à ſua ſtatione remouebitur: qui verò ante tempus ſponſalia confecerint, humanæ diuinæque iræ ſe obnoxios reddent. Fiſcus namque propter præſentis iuſſionis contemptum per rerum domeſticarum ſecretarium poſitam ex ſtipulatione in inſtrumentis pœnam ab ipſorum ſingulis integram exiget. Creditoribus verò etiam ipſum Deum aduerſus hos inſurrecturum, quod inter iuuenes nequitiam palàm & deſtinato introducere non erubuerint. Etenim ſi vetus lex irrita facta eſt, & perfecta ſponſalia confici nequeunt: verùm recentioris legiſlationis præſcriptum ad effectum deducere contrahentes recuſant: quid aliud faciunt, quàm homines ſibi mutuò ſecundum legem non obſtrictos, contra legem inter ſe corrumpi ſinunt, iuuenúmque animis laſciuos amores per pollutam conuerſationem ingenerant?

### IIII. *De ſolutione ſponſalium.*

MEnſe Martio, indictione decimaquinta, anno 6600. ſuggeſtio Curopalatæ & magni Drungarij Viglæ D. Io. Thracenſis, ex qua declaratio facta eſt Imperatoris D. Alexij Comneni, præcedentem ipſius Nouellam de nuptiis confirmans, ac ſtatuens nè diſſolui poſſint ſponſalia quæ ſacra benedictione munita ſunt.

DOMINE mi ſanctè, cùm quidam nuptiarum repromiſſiones liberorum ſuorum nomine cõtraxiſſent, deinde diſplicerent conuenta, & ſponſaliorum contractum reſcindere conarentur, cúmque ſupplicaſſent ſanctæ tuæ maieſtati, & ad forum hippodromi remiſſi, in eo inſiſterent vt pœnæ inſtrumento ſponſaliorũ cõprehenſæ præſtarentur, & ſponſalia dirimentur. Cùm autem alij contradicerent, oportere hæc indiſſoluta manere, non, vt antea, datione pœnæ diſſolui, & Nouellam tui imperij conſtitutionem de ſponſalibus ante aliquod tempus emiſſam in auxilium ſuum allegarem: quæ à veribus legibus recedens, fecit ne aliter perficerentur ſponſalia quàm ſi mas decimumquartum ætatis annum exceſſiſſet, fœmina autem duodecimum, ſolita precatione in ſponſalibus facienda, cum aliis ſolennibus obſeruationibus, nimirum arrhabone & oſculo: vt inclyto Imperatori D. Leoni philoſopho conſtitutum eſt: & breui temporis ſpatio, vel etiam maiuſculo, vt iis qui contrahunt placuerit, nuptias differri, non eadem die vel hora concurrere. Diuiſum eſt iudicium in diuerſas ſententias: ſunt enim qui ſentiant præſtandas eſſe pœnas, & ſponſalia ſolui debere allegantes, ſi id non procedat, nullam inter nuptias & ſponſalia, fore differentiam, ſi quidem nuptiarum prærogatiua ſponſalia ornentur. Præſertim cùm arrhabonis ea ſit natura (quemadmodum lex ait) vt ſi is qui dedit non impleat ea de quibus conuenit amittat datum, ſin autem is qui accepit, reddat in duplum. Alij è contrario indiſſoluta manere ſponſalia putant: dicentes non eſſe conſentaneum, vt quę poſt liberorum perfectam ætatem ſimul parentibus placuerunt, eorum conſenſu & ſacris precibus obſignata, datione pœnæ reſcindantur. hoc enim conueniens eſſe & accidere quando nullum vinculum proceſſerit, aut etiam ſponſalia poſt ſeptimum annum initiata fuerint iuxta veterem ritum quæ nec ſponſalia eſſe tuæ maieſtatis lex demonſtrat. Sic igitur diuiſis iudicum ſententiis, tuæ maieſtati vilis ſeruus eius refero, quærens vtri ſententiæ adiicere ſe oporteat. Vtraque enim pars probabilia ferre videtur. Et per venerãdum reſcriptum dari mihi poſtulo interpretationem quæ dilucidè puréque dubitationẽ ſoluat. Legis enim vigorem obtinebit in poſterum: & oportet certam purámque eſſe ſententiam, ne poſtea amplius in controuerſiam reuocetur. Et interrogationem quidem meam ſancta tua maieſtas æqui bonique conſulat. Ego verò audacter etiam de tempore refero. Vilis enim ſeruus tuus arbitror

iuſtum non eſſe vt eodem tempore ſponſalia & nuptiæ definiantur : ſed paruam aliquam prærogatiuam vel in tempore habeant nuptiæ, & à ſponſalibus differant, quæ in eo nuptiis ſint inferiores. Etenim hoc valde profuturum ſpero Reipublicæ. Nam parentes amore quo in liberos affecti ſunt victi, & quàm primùm iis prouidere feſtinantes, & ſecuritatem adipiſci, temporis anguſtiis impediti, moleſtè & grauiter ferunt. Sunt aliqui & ex contemptu mentiuntur annos amore liberorum ad periuria impulſi. quod ſi ſublatum fuerit, & diminuatur ſponſaliorum tempus, tum & quæ ex contemptu væcordia parentum ſanabitur, & quæ ex hac contingere ſuſpicamur mala mendacium & periurium, continenter reprimentur. Et ſanctum Imperium tuum gloriæ, magnificentiæ & honoris fructum ineffabilem percipiet, & aſſiduas intenſáſque preces, quandoquidem ſubditis conducibilia, vtilia & ſalutaria ſemper procurat.

SI Imperium nihil aliud eſt quàm legitima præfectura : leges autem Rempublicam tuentur indemnem, procul expellentes & eiicientes ea quæ ciuili adminiſtrationi officiunt : regibus autem permiſſa eſt legis ferendæ poteſtas : opus ſanè regium ad communem Reipub. vtilitatem, legum interpretationem, ab iis qui rerum potiuntur fieri, & earum quæ deficiunt, ad implementum ſolidi, & ad earum quæ obſcuræ ſunt diiudicationem, quas vel ipſi ſanciuerunt, vel antè latas offenderunt, ab his exponi.

HIS conuenienter cùm noſtra maieſtas Iulio menſe præcedentis ſextæ indictionis anno 6592. legem feciſſet, & nouella conſtitutione D. Leonis philoſophi & Imperatoris fundaretur, definiente vt prima contrahentium conuentio ſacra benedictione initiaretur, ipſa videlicet ſponſalia, & tempus certum, quod vtique & ad nuptialem coniunctionem ſufficere lex antiqua ſtatuit : inſtituit ea eſſe propriè ſponſalia, & verè nuptiarum poteſtatem habere, quæ & tempus Leonis Nouella definitum integrum habent, & ſubſequentem ſacram benedictionem nouerunt : & in his ſponſalibus ſynodalis deciſionis obſeruationem in nuptiis obtinere, quemadmodum & quæ tempore beati patriarchæ domini Ioannis Xiphilini ex ſynodali conſultatione emiſſa declarauit annotatio. Cui & inter principes inclytus D. Nicephorus Botaniata robur inuenitur tribuiſſe. Diſertè namque pronuntiat, duos fratres non adſciſcere ſibi duas conſobrinas per ſponſaliorum conciliationem, neque etiam coniungi vetitis perſonis ſynodica deciſione huiuſmodi ſponſalia contrahere licere. Quin potiùs etſi perſonæ huiuſmodi ſponſalia contraxerint, quæ alterius fortè partium morte diſſoluta ſint, ſuperſtes alia ſponſalia prohibebitur contrahere cum ea perſona cum qua, ſi nuptiarum ſocietas ei proceſſiſſet cum defuncta perſona, contractum inire non poſſet. Et ſecundum ea quæ in hac ab imperiali noſtro culmine de his præſcripta ſunt, gubernari conſtituit eos qui noſtræ orthodoxæ & Chriſtianæ reipub. ſunt ſubiecti. neque omnino ſponſalia initiari vnquam, aut actum propriè ſponſaliorum nomen ſortiri, niſi in iis ſacra peragatur benedictio, & nuptiis præſtitutum tempus habeant. Et enim quæ aliter factæ fuerint, non ſponſalia propriè, ſed hominum placita per ſtipulationem confirmata cenſeri, & tanquam talia effectum ſortiri, veterémque legiſlationem in his vim ſuam obtinere. Et hæc quidem ab imperio meo accuratè tunc conſtituta ſunt. Cæterum quia nihil de eo quòd magnificè ſuggeſſiſti edictum eſt, quæ dictæ Nouellæ conſtitutioni deſunt, noſtra adiicit potentia, & definit, talia ſponſalia, quæ propriè ſponſalia ſunt, immota manere & inconcuſſa, ac inſolubilia, vtpote Deo inter eos qui coniunguntur interueniente, & primam vitæ conciliationem confirmante corroborantéque, per ſacrarum precum recitationem. Nunquam verò ipſa pœnarum reſoluentur dationibus. Neque enim hæc ex hoc tẽpore contrahentiũ inſtrumentis adſcribentur. Nam quando ſolis pœnis corroborabantur, & eæ adſcribebantur, datione etiam earum infirmabantur diſſoluebantúrque: nunc autem cùm Deus diſiuncta coniungẽs, ſponſalia roborat & conſtabilit, indiſſolubilia prorſus remanebunt, quin facimus vt horum ſolutio, perfecti matrimonij eſſe cenſeatur. perfecti enim matrimonij diſſolutionem facere videbuntur qui hæc ſponſalia dirimere conabuntur. Sic igitur probabiliter & cognatæ perſonæ, prohibitæ cum ſponſa vel ſponſæ ſorore nuptias aut ſponſalia primas coeuntium conuentiones contrahere, ab huiuſmodi contractibus arcebuntur. Si quidem nuptiæ iuxta tempus antiquis & recentioribus legibus noſtráque Nouella conſtitutione præſtitutum ſeruabuntur cum ſolitis his obſeruationibus. Nec licebit cuiquam eorum qui in Republica noſtra degunt, præter ea quæ præſenti maieſtatis noſtræ conſtitutione vetita ſunt peragere quicquam, niſi Imperator (vt ſæpe accidit) ſponſalia, & ex ſacra benedictione conciliationem intra definitos annos per diſpenſationem quandam ſponſis permiſerit. Licet enim quibus à Deo rerum humanarum diſpenſatio commiſſa eſt, ſupra leges diſpenſare : vt philoſophorum ſummus & veteres legiſlationes dicunt. Licebit igitur principibus, quando voluerint, in anguſtum cogere & contrahere per diſpenſationem & vtraque ſponſalia, nimirum quæ ſecundum antiquam legem præſcribuntur, fieri non minoris ætatis quàm annorum ſeptem, quæ & imperfecta ſponſalia cenſentur, & ea quæ iuxta Imperatoris D. Leonis philoſophi ſummi legem cum ſacrarum precum recitatione celebrantur, & perfecta ſponſalia exiſtunt, vtpote cum nuptiis concurrens tempus habentia : & coniunctionem ſponſorum quæ per ſacram benedictionem fit, nimirum perfectas nuptias intra præſtitutos ipſis annos circumſcribere, ante hanc lata conſtitutionẽ ab Imperatore philoſopho ſummo. Nam vt & ſponſalia & ex ſacra benedictione coniunctionem ſponſis intra præfinitos annos princeps decerneret, ab eo conſtitutum eſt. Quòd ſi ſponſalia non ſint perfecta quæ per precationes in ipſis arrhis ſponſalitiis confirmationem non acceperint, neque definitum nuptiis tempus conſentaneum acquiſierint, qui ſponſis conuentionem ex ſacra nuptiarum benedictione decreto ſuo permittit, puberibus hanc & impuberibus ſponſis omnino decernere. Et hæc quidem ab Imperatoribus per diſpenſationem quandam efficientur. Non permittent tamen naturalem concubitum, ſed ab eo repellent tam eos qui per ſponſalium ſacram precationem initiandi ſunt quàm qui per diuinum carmen nuptialium precum coniunctionem ſuſcipiunt, intra annos declaratis ſponſalibus & nuptiis præſtitutos, & tam iuxta leges antiquas quàm Nouellas philoſophi regis conſtitutiones. Tunc enim naturalis coitus his concedetur, quando & ab initio lege definitum eſt : nimirum mare decimum quartum annum excedente, & fœmina duodecimum. Donec autem vel ambo vel alter eorum definitum annorum ſpatium percurrerit, eis non dabitur coniunctionis naturalis poteſtas, illo à parentibus exigendo, ne circa huius rei cuſtodiam negligenter & ſegniter ſe gerant : ne præter decorum & ab initio definitum naturali coitui tempus ad ſe inuicem conueniant. Si enim per eorum incuriam hoc perpetratum fuerit, tam qui perpetrauerit quàm parentes eius ſubiicientur pœnis legitimis eorum qui virginem intra præſtituta nuptiis tempora corruperunt. Sed & ſi cùm princeps per diſpenſationem aliquam tempus ſponſaliorum vel nuptiarum præciderit, contigerit ante benedictionem nuptiarum & coronarum, poſt



poſt ſponſalia ſacris precibus initiata, ſponſos morte ſeparari, ſupeſtes perſona contrahere nuptias prohibebitur, cum quibus contrahere prohibetur iam dicta ſynodali conſultatione. Non erit enim ſupeſtitibus permiſſum ad huiuſmodi perſonas ingredi, quod tempus perfectorum ſponſaliorum non inuenitur concurrens. Nam quæ per Imperatoriam diſpenſationem peraguntur, idipſum diſpenſationem pro tempore ferunt auxiliantem. Leges enim, vt ſæpe dictum eſt, legem condere & diſpenſare Imperatoribus permiſerunt. Nam & ſi in imperfecta ætate ſponſalia & nuptiæ fiant, cum talibus certè perſonis contrahere prohibebuntur, cum quibus contrahere perfectæ nuptiæ & perfecta ſacris initiata ſponſalia non ſinunt. Et hæc obtinebunt etiam in his quaſi perfecta æſtimentur contrahãtúrque, quæ & in perfectis nuptiis obtinent quæ ſine principis diſpenſatione fiunt. Conſtitutione igitur ante promulgata Iunio menſe, 7. indict. anni 6592. iuxta omnia quæ ita diſpoſita ſunt inuiolabiliter obtinente. nullo enim modo per præſentem conſtitutionem mutilata eſt, quin potius repletur & ad integritatem reducitur.

QVAE vero nunc per præſentem & in perpetuũ valituram conſtitutionem noſtra definiit ſerenitas omnibus omnino manifeſta quàm primum fieri curato illuſtriſſime Curopalata, & magne Drungarie Viglę, vt nemo eorum qui ſub ditione noſtra ſunt, ignoret ea quæ pro ipſorum vtilitate à nobis ſancita & conſtituta ſunt. Nam omnem Chriſtianiſſimam multitudinem præſenti conſtitutione frui volumus ne quis ex omnibus ignorantiam huius conſtituti iuris vnquam prætendat: cui debes auxilio eſſe in omnibus iudiciis, & omnibus quæ noſtri imperij ſunt prouinciis, & apud omnium eccleſiarum, quę in iis ſunt præſules, eoſque qui obſeruantur ab omni Chriſtiana ciuilitate. Actum Martio mẽſe præſentis 15. indict. anni 6600. Excepto eo quod etſi ſponſalia ſacra precatione initiata debeant indiſſolubilia manere, non omnino tamen nuptiæ poſthac indiſſolubiles ſeruabuntur. Sed quibus ex cauſis hæ ſolutionem admittunt, iiſdem & ſponſalia diſſoluentur. Menſe Martio indict. 15. rubris literis.

V. *De chartophylace.*

IMperium meum, quod eccleſiaſticæ honeſtatis maximam curam gerit, & bonum quidem ordinẽ cum in omni ciuili ratione quærit tum autem multo magis in rebus diuinis eum verſari ſtudet, quæ vnicuique gradui eccleſiaſtico ſunt ab initio tributa priuilegia, & eam quæ in his hucuſque obtinuit conſtitutionem, deinceps quoque eſſe immutabilem & perſeuerare vult, & cenſet, ſanctiſſime Domine, vtpote quæ per tot annos ſuſcepta, & in vſu ciuili longo tempore verſata, & ab alio in aliud immutabilibus hucuſque tranſmiſſionibus vindicata ac confirmata ſit. Sed quoniam Imperatoria mea ſublimitas didicit, nonnullos antiſtites contẽtione quadam & gloriæ ſtudio incitatos velle chartophylacis priuilegium minuere, & canones in medium adducentes per eos contendere illum ante antiſtites ſedere nõ oportere, quãdo aliquo vſu exigẽte oportet eos conuenire, & conſidere ante exceſſum ad tuam ſanctitatem non ferẽdum regię meæ maieſtati viſum eſt, vt res quæ tãta tẽpore approbata eſt & à prioribus patriarchis, & ab aliis antiſtibus, ſed & ab iis qui nunc ob rem non honeſtam contendunt, longiſſimi temporis ſilentio nũc obiter aboleretur, & tanquam neglectum quidpiam conuelleretur. Hanc ergo rem decernit eſſe valde rationi conſentaneam & iuſtam. Si enim contra vellent antiſtites immobilia non mouere, nec ea quæ iis qui prius fuerunt patribus placuere, ſed & quæ iis ipſis longo ſilentio, & hucuſq; patientia, probata fuere, rurſus in certamen non deducere, rectè ſe haberet: & eis magna gratia haberetur, quod pugnãdi ſtudio abiecto, pacem & quietem protuliſſent. Si autem etiam adhuc nonnulli verba canonis vſurpantes (à ſententia enim longe abſunt) voluntatem ſuam confirmare conantur, & non rectè ordinem ad id quod eſt ordinatum transferunt : permittit quidem Imperatoria mea ſerenitas canonis interpretari & declarare contextum. qui facile comprehẽdi poteſt, & pulchre diſcerni iis qui exacte penetrant, & canonicum ſenſum attingunt. Hoc autem vtque ipſum in antiſtibus increpat, quod cum canonem ſcirent, & eius verba perfecte inteligerent, ſuam ipſorum conſcientiã præter rationem conculcarint, & duas diſturbaretur canon tolerarint: & in anterioribus chartophylacibus inferiorem ſedem elegerint. Et his mercedem contemptionis ſacrorum canonũ, dat expulſionem ad proprias eccleſias : canonem eccleſiaſticum hic ſubſequens & canonum contemptoribus ſacros illos canones in ſubſidium opponens, Neque enim pontifices occidentalium, præſules qui longo tempore ſibi creditorum ouilium curam non geſſerũt, nec vt oporteba is præfuerũt, dicere poſſint, hoſtium rabiem quæ per orientem graſſata eſt, impedimento fuiſſet, indeque rationaliũ ouium epiſcopatu eſſe ſpoliatos. Et quod ita quidẽ à meo imperio diſpoſitum eſt, iudicium ipſius rei geſtę reliquit. Quoniam autem & illud ad aures ipſius perlatum eſt, aliquos ex eccleſiæ clero in ferendis ſuffragiis præteriti, iiſque preferri nonnullos inferiores fortè & ætate & ſtatu vitę meliore, & qui non multum pro eccleſia laborarunt: ea res nequaquam viſa eſt ſacra antiſtitum ſynodo digna. Vndo religioſè ſimul & regiè mandat ne ludatur in non ludicris, neque affectu indulgeatur in diuinis (vbi enim anima eſt id quod periclitatur, cuius alterius cura gerenda eſt?), illi autem præferantur aliis & in ſuffragiis honorem ferant, quos cum doctrina vita ornat inculpata ; aut deficiente fortè doctrina, diuturnum tempus, & multus circa eccleſiam labor, defectum implent. Sic enim & ſuffragiis recte iudicent, nec in ſuæ animę condemnationem arguantur, Deo ſententiam ferentes.

VI. *De doctoribus.*

NOia ex hoc pręſenti canone, poteſtatem docendi populum ſolis epiſcopis datam eſſe : & magnæ eccleſię doctores patriarchæ iure docerę. Hoc autem etiam oſtenditur ex Nouella illuſtris Imperatoris domini Alexij Comneni, quæ deſcribit & quomodo & quinam debent in eccleſiis eligi, & decernit omnibus doctoribus, tam iis qui ſunt extra eccleſiam, quàm iis qui ſunt intra tres aſperorũ libras, & frumenti modios quinquaginta ; & hæc apertè decidit. Sit autem & hic doctoribus honor tributus, vt iterum in propriis eccleſiiis, propter quas ſeceſſerunt, ſtatim poſt officiales proximi patriarchę aſſideant, tanquam eius perſonam reprę ſentantes. Audimus enim eum qui pontificis locum tenet, maximum gerere honorem : & nemo poterit ad hoc contradicere. Qui autem & verbo & opere digni ſunt quorum ratio habeatur, ad doctrinæ miniſterium introducantur, & per docendi munera ad officia prouehantur. Propterea enim, mortuo qui erat eo tempore patriarcha, nec ipſi docere poſſunt.

VII. *De electis ad orientales eccleſias.*

LEge iuſſionem quæ menſe Nouembri, 2. Indictione emiſſa eſt, illuſtris Imperatoris domini Comneni, decernentem, eos qui in orientales eccleſias electi ſunt, & iterum ſuas habere præpoſituras & adelphata, & officia. *Didicit* Imperium meum ſanctiſſ. domine & vniuerſalis patriarcha quòd cùm in

Dei eccleſia electiones procedant, quidam eorum qui electi ſunt in monaſteriis prioratum tenentes & adminiſtrationem habentes, vel alia etiā miniſteria exercentes,& omnino monachi exiſtētes, alij autē in magna Dei eccleſia, & aliis ex officiis, & aliis quibuſdam miniſteriis,ea quę victui ſufficiunt, poſſidentes, ægrè ferunt pontificale iugum ſubire, & illis eccleſiis pręeſſe in quas renunciati ſunt: veriti ne,quum einſmodi eccleſię in orientis partibus ſitę ſint:eis neceſſaria deſint,vtpote cum eccleſiæ in quibus electi ſunt, reditum non ferant & ſint ipſis omnino inacceſſę: priuentur autem & ipſi, eo quod illarum regionem ſuſcipiant, præfecturis & œconomiis quæ ſibi adſunt, & aliis muneribus & iis quæ ſimpliciter dicuntur adelphata,& officiis: & quibuſdam aliis miniſteriis.Meum itaque ſtatuit Imperiū, ea quæ ad ipſos pertinent, diſpenſatiua quadam ratione diſponens: ne quis propterea pontificale iugum ſubire recuſet. ij enim omnes rurſus fruentur iis quæ ſibi adſunt præfecturis,& œconomiis,& aliis miniſteriis,ac muneribus,& officiis, & quæ illis adſunt adelphatis:& doctrinæ rationem ſubeuntes, à ſe ſuſcepto ordine perfectiuo, illorum quoque reditus liberè percipient, donec remiſſionem acceperint, & ab ea quæ nunc eſt cleri calamito à ſorte, ad meliorem cleri ſucceſſum eis attributarum eccleſiarū, quæ ab eis, vt dixi, adiri non poſſunt, vt quæ ab infeſtiſſimis teneantur hoſtibus, peruenerint. Sed hæc quæ à meo imperio conſtituta ſunt,locum non habebunt in officiis vel gradibus ſacerdotum, & diaconorum, & cæterorum cleri magnæ Dei eccleſiæ. Pone ergo præſentem conſtitutionem in codicibus chartophilacij, ſeu tabularij magnæ eccleſię.

VIII. *De erigendis epiſcopatibus in metropoles.*

INterim autem ſcire debes in menſe Maio,10. indictione anno 6,65. exiſſe edictum ab illuſtri Imperatore domino Alexio Comneno continens, cum metropolis Baſilæi, & metropolis Madytana viduæ eſſent, & antiſtitum electionem fieri oporteret, exuri exiſſe Heracleanum & Ancyranum metropolitanum,& dixiſſe non debere eas eccleſias, etiamſi metropolium dignitate honoratæ ſint, à magnæ eccleſię partibus antiſtitem ſuſcipere, ſed ab ipſis, eo quod Madytana quidem eccleſia ſit Heracleæ epiſcopatus, Baſilæi autem eccleſia ſit Ancyrani metropolitani epiſcopatus. Et cum vſi eſſent ij metropolitani duodecimo canone Chalcedonenſis ſynodi,decernente, ſeruanda veræ metropoli iura quæ illi adſunt in honorata eccleſia, decretum fuit imperiale in præſentia tunc conuocatæ ſynodi conſentientis vnáque decernentis, licere Imperatori pontificalem thronum eccleſiis largiri, & epiſcopatus vel archiepiſcopatus in metropoles erigere:eaque quæ ad electionem pertinēt, & reliquam diſpoſitionem prout ipſe voluerit deſcribere: nec à canone impediri, qui ſtatuit metropoli iura ſeruari quæ illi adfuerunt ab initio in honorato epiſcopatu. Et lege hoc edictum quod interpretatur, quomodo debeant ſeruari iura antiquæ metropolis, & non diuidendam eſſe vnam prouinciām duas. Nos enim eo quòd ſit prolixius hic integrum non poſuimus. Hoc ipſum autem edictum poſt decretum quod continet, debere eccleſias quæ ſunt honoratæ, iuſſu Imperiali à throno Conſtantinopolitano præſulum electionem accipere, nec eos qui paulo antè erant, metropolitanos vllam in eis partem habere, hæc quoque expreſſè continet: *quoniam* autem rurſus quoque antiſtites Chalcedonenſis ſynodis canonem, adducentes eos qui iuſſu Imp. altiore throno digni habiti ſunt,dicebant præter canones honorem perfectiorem conſequi & rationis expertes eorum appetitiones coerceri volebant, & canonicam auctoritatem aſſerebant: imperium meum, & imperialis poteſtas quod ei à diuinis cononibus datum eſt priuilegium, neglectus haberi non ſinens, & antiſtitum ob honoris prouocationem ſupplicationes, vt non canonicas neque legitimas, appellationis euentum accipere nolens, ſtatuit epiſcopatum non aliter in ſublimiorem thronum erigendum archiepiſcopatus ſcilicet vel metropolis, quam ſi Imperator illius temporis,proprio motu impulſus, gratia humana non intercedente indecora, voluerit illam quæ eſt ſuperior ac eminentior, dignitatem ei præbere vel propter ciuitatis honorem, vel propter eius fidem in ſanctam eccleſiam, vel eius qui illi pręeſt virtutem honorans, & ex eo ſua ſponte incitatus ad largiendum honorem. Ac ei quidem qui propter humanam affectionem, & mores non laudatos, ordinem ſublimem largitur, diuinorum canonum metus incutitur. In quos ne ſæpe Imper. incidat, permittit & ſanctiſſimo eius tēporis patriarchæ,ne aliter à quouis allatā de cuiuſcūq. eccleſiæ primatu chartam confirmet, nec eius præſulem inter archiepiſcopos vel metropolitanos recipiat, quam poſtquam de ea re ad Imperialem poteſtatem retulerit, & quid ſacris cautum ſit canonibus docuerit, intellexerit quod Imperator, proprio motu, iuſta de cauſa eccleſiæ hunc honorem largitus eſt. Tunc enim & eam admittet, & in eorum qui ſub ſe ſunt antiſtitum numerum illum cooptabit qui præſtantiorem honorem ab Imperatore ſortitus fuerit.

IX. *De teſtibus, & benedictione matrimonij ſeruorum.*

LEge etiam Nouellā Imperatoris domini Alexij Comneni, quæ edita eſt de non admittendis teſtibus qui contra opponuntur, quando teſtes adducuntur ab eo qui ad libertatem proclamat:& de eo quod liberi ſerui non fiant qui ſacram benedictionem acceperint,quę his verbis hæc perſequitur:Duo hæc ad aures mei Imperij peruenerunt,ſanctiſſime domine, quoſdam eorum qui ad ſanctum & magnum diuini verbi ſapientiæ templū accedunt, ad libertatem proclamantes, & genus ſuum ad libertatis oſtenſionem allegantes: (dicunt enim ſe ex liberis parentibus eſſe natos, Bulgaris forte, vel aliquibus aliis quos in ſeruitutem noſtra cepit Reſpublica) ea quidem quæ dicunt demonſtrare permitti: & poſtquam teſtes omni exceptione maiores, & in quos nulla cadit criminatio, adduxerint, ad alios eis teſtes opponendos eorum dominos procedere. Et ſic eos qui proclamant, quum ſemper in iudiciis ſubſiſtere non poſſint, ſeruilis conditionis onere rurſus opprimi.Et quando matrimoniales fiunt ſeruorum conuentiones & coniunctiones in noſtra republica eas tamen ſacram non ſequi benedictionem, cauentibus dominis ne ſeruos inter ſi inuicem cum ſacra benedictione coniungāt, & ex eo ad libertatem perueniant. Eorum vtrumque conuenienti correctione opus habere cenſuit, & propterea hanc conſtitutionem magna cum cautione & obſeruatione edidit, per quam ſtatuitur de iis qui ad libertatem proclamant ſeruis, ne ij qui contra adducuntur teſtes, vim vllam locúmve habeant, in quocumque ſeu ciuili ſeu eccleſiaſtico iudicio: ſed ij ſoli qui proclamant, legitimas probationes aſſerant: & ſi ij quidem teſtibus abundent qui iure ſunt recipiendi, neque calumnia inducti, teſtium iureiurando iudicium ſoluatur. Sed non aliorum etiam teſtium aduerſus hæc productiones eorum dominis permittantur: ne magna aduerſariorum inæqualitas ſit inferioribus damni cauſa: ſed quemadmodum in iis qui idem tributum ſoluunt, lex beatiſſimi domini Baſilij potentibus aduerſus pauperes contrarias productiones non permiſit: ſic & hic dominis aduerſus ſeruos vis contrariæ productionis extincta erit, & ſola



ſola apud eos valebit aduerſus teſtes illata criminatio, contraria productione non omnino iis excluſa qui ad libertatem proclamant,quando ij qui trahunt, in ſeruitutem eos aduerſus illos qui iure ſunt liberi produxerint. inferioribus enim & imbecillis præſens conſtitutio gratificatur, & quod eos iuuet ſubminiſtrat: non autem pro maioribus & potentioribus editur. Adiicit autem, & benedictiones non ſolùm in liberis,ſed etiam ſeruis valere. Et nuptias non alioqui legitimas & Chriſtiana inſtitutione dignas eſſe & exiſtimari, niſi etiam benedictio eos, qui coniunguntur obliget. Abſurdum enim eſſet, cùm vna in omnibus Chriſtiana fides valeat, & vnus ſit in confeſſo baptiſmus, per quem ad Dominum deducti ſumus, & eadem ſalus à nobis omnibus ſperetur: nonnullis hanc obortam eſſe ſuſpicionem, quod ſerui ſint boni minus participes, & liberi quidem matrimonio inuicem coniungantur priùs oratione colligati: ſerui autem à tali bono excidant, & Deum non aſſumant in congreſſus benedictione: vel metuant, ſi eum aſſumpſerint, ne herus in dominio iniuria afficiatur,illorum ſeruitio priuatus.Si hoc autem locum habuerit, ſanctum quoque baptiſmum timere oportet, ne ſerui à dominis alienentur: ſed etiam immaculatorum myſteriorum aſſumptionem,ne per eam ab illis quoque alienentur:quo fiet vt in ſeruis intereat magnum & venerabile diuinæ fidei nomen: & non ſolùm hominum,ſed etiam diaboli ſerui fient homines.Eorum autem domini in periculum quoque venient, ne dum miniſterio hominum priuari formidant, à Dei gloria ſeipſos abalienare ſuſtineant.Sed neque hoc eſt rationi conſentaneum; & ſacram benedictionem in ſeruis quoque valere, æquum & Chriſtiana inſtitutione dignum eſt. Verùm enimuerò fortuna nouit in hominibus diuerſa eſſe dominium & ſeruitutem. Et quæ noſtra accepit reſpublica,ea in iis quoque valere oportet. Vnus autem dominus omnium, vna fides, vnum baptiſma, & quod ad fidem quidem attinet, dominij & ſeruitutis differentiam non cognouimus.Omnes enim ſumus ex æquo ſerui eius qui nos ſuo diuino & viuifico ſanguine redemit. Et quoniam hæc ſic rectè & vtiliter conſtituta ſunt, oportet magnam tuam ſanctitatem hæc omnia in omnibus eccleſiis manifeſta reddere: vt qui eis præſunt, ea quæ ad libertatem pertinent, ſic examinantes, contrarias teſtium productiones aduerſus ſeruos dominis non permittant, & omnibus in ſuis prouinciis manifeſtum efficiant, eos qui non cum ſacra benedictione ſeruos inuicem coniungunt, non Deo gratum inter eos matrimonium conſtituere: ſed fornicatorium coitum & ſtuprum confirmare.Quos enim non coniungit Deus per ſacram benedictionem aſſumptus,hi omnes ad peccatum conueniunt: & ſicubi hoc ab aliquo, quicumque is ſit,factum renunciatum fuerit, ſciant domini, ſe non ſolùm iræ diuinæ fore obnoxios, ſed à ſeruis quoque abalienatum iri,eis abductis in libertatem. Cùm eis enim liceat ſeruos ſuos iure inuicem coniungere, & integrum in eos habere dominium, niſi hoc fecerint, iure omnino ab eorum dominio excident. Præſens autem conſtitutio non ſolùm debet in eccleſiis quæ vbique ſunt promulgari, ſed in omni etiam ciuili foro deponi, tradit autem etiam iis qui in prouinciis magiſtratus gerunt. Quoniam autem in perſonis ſeruilem fortunam habentibus nuptiæ prius factæ ſunt, & nuptiæ conuenienter iniquæ quæ hucuſque inualuit conſuetudini proceſſerunt: oportet in iis quoque ſacram benedictionem fieri, vt per eam,etiam ſi tardè fiat id quod eſt colendum ac venerandum,habeant: ſuperioribus obſeruationibus etiam in hoc coniugio obtinentibus.

X. *De oblationibus & aliis eccleſiaſticis iuribus.*

QVia autem de oblationibus & aliis eccleſiaſticis iuribus emiſſa eſt conſtitutio illius inclyti Imp. D. Alexij Comneni, ad ſuggeſtionem quorundam diaconorum, qui curam patriarchalium monaſteriorum ſuſceperunt à patriarchali magnificentia, quæ ſubſcriptionem habebat, Decembrem menſem quintæ indictionis: ſcito eam hæc ad verbum continere:

*Obſeruationem* & correctionem animæ lapſum conſtat habere ſanctiſsimum ius temporis patriarcham tam in liberis monaſteriis quàm in traditis & donatis, & iis quæ ad adminiſtrationem vel diſpenſationem data ſunt. Ius enim habet ſubeundi & contrectandi delicta animæ, & ſæcularia & publica monaſteria, &, vt ſemel dicam, omnia quæ ſunt ſub eius regione, ſiue ſint patriarchalia, ſiue Imp. & quæ ſunt ſui iuris. Et in propria quidem quæ ſuperiores patriarchæ ad incrementum non elocabant, abſque impedimento, quando volet, ingredietur, ſiue ipſe per ſe, ſiue eius ſuaſione, quem ipſe ex eccleſiaſticis elegerit, & ea perſcrutari, dignum eſſe ſtatuerit. Libera autem & ſui iuris monaſteria, quando ad ſanctiſsimum dominum meum & patriarcham delictum in monaſterio factum peruenerit, ſiue alioqui ex fama aliquorum vel etiam vnum audiuerit, tunc, vt dictum eſt, ingredietur, & perſcrutabitur delicta animæ etiamſi is qui dixit, nolit ſubire probandi periculum. Homo enim Chriſtianus, quando aliquid factum audiuerit, debet hoc dicere communi patri & antiſtiti: fortaſſe enim non vult hoc ſubire periculum. & propter eiuſmodi cauſam, delicta animæ inobſeruata & incorrecta relinquere, eſt hoc valde abſurdum, nullo quocumque ſcripto Imp. vel patriarchali hoc prohibente. Sed monaſteria quidem debent non innouata conſeruari in perſcrutationibus eorum qui mittuntur, nullo inde ſumptu dato. Tunc enim animæ delictorum correctio facilè ſi Deus volet, fiet. In monaſteriis autem non ſolùm alia animæ delicta inquiret, ſed etiam an diſſoluta ſint vel diſſoluantur, in parte vel in vniuerſum ab iis qui ea accepere, & ſi inueniet in iis aliquas fieri diminutiones, coget eos qui ea detinent reſtituere, quemadmodum accepere, & ſecundum monaſterij facultates. Sed in illis quidem qui propter inopiam non ſufficiunt ad ſtatum in quo ea accepere, quæ ſunt quidem effecta, meliora & aucta, cùm rectè ſe habeant, non minuentur, ſed manebunt vt ſe habent. Qui autem ea detinent quæ ſunt illis tradita, vt regimen & adminiſtrationem ad tempus ſuſcipiant, & eis damnum afferunt, ſi nolint in eum quem acceperunt ſtatum ea reſtituere, eis auferantur, nec ab iis quæ habent ſcriptis inuentur, eis dato conuenienti die præfinito. Interea autem dum penderet terminus, debent obſeruari an ipſis eorum de in integrum reſtitutione operibus vacent, vt oſtenſum eſt. Tum enim etiam terminus ſeruabitur. Renuntiationes autem, quoniam præter canones dantur & accipientur, omnino ceſſabunt: & qui accipere vel dare inuentus fuerit, ſi eſt quidem monaſterij præfectus, ex præfectura expellatur: ſin autem beneficiarius, è monaſterio expelletur. Quæ autem ab iis qui ad tonſuram veniunt, fiunt offerentium ſpontanea voluntate oblationes, ſuſcipientur, & deſcribentur in breuiario monaſterij, de iis quæ offerentur etiam ſanctiſsimo patriarchæ cognitione data: etiamſi ij qui habent monaſteria, documenta habeant de accipiendis renuntiationibus & oblationibus & in lucrifaciendis hoc enim ceſſare nunc debet, & fieri quemadmodum dictum eſt ſuperius. Sed etiam ſeruatæ oblationes non debent alienari prætextu documentorum. Porro autem non ſolùm cura animarum monachorum, ſed etiam ipſorum ſæcularium incumbit ſanctiſsimo patriarchæ: & quando viderit aliquem ſæcularium ſitientem propriam ſalutem, quomodo

continget prohiberi patriarcham, quominus in monaſterio eum collocet, ad ſalutem animæ eius qui accedit? citra vllum enim impedimentum ſanctiſsimo patriarchæ licebit collocare, quàm chariſticarij, licèt documenta habeant. Præterquàm ſi iubet ſanctiſsimus meus dominus fraternitatis vſum accipere ſæcularem aliquem vel etiam monachum ex alio monaſterio ab eo differente: ne det ſæculari vel externo monacho monachatum, & grauetur monaſterium adelphato. Si enim grauetur omnino, deerit monachis qui ſunt intus, & pro mercede fiet iudicium. Si autem accedit laicorum quiſpiam, qui eſt omnino inops & pauper, ad ſanctiſsimum meum dominum, vel ex antiſtibus, qui ſuos thronos perdiderunt, & ſunt inopes, & voluerit ſtatuere vt is victum capiat è ditiori aliquo monaſterio, hoc rectè faciet, non ſupra facultates numeri eorum qui ſunt ordinati. monachi enim, qui ſunt intus, debent præferri cæteris omnibus, ad ea quæ ſunt ſibi neceſſaria capienda.

*XI. De foro clericorum, & de iudice per reſcriptum prohibito cauſam ad ſe tranſmiſſam diſceptare.*

SI vero partitio inter aduerſarios fuerit, & alterum mundani ſtatus eſſe appareat, alter in ſacrum clerum allectus ſit: actor foro rei per omnia ſubiacebit, & vterque ad competens iudicium abibit: niſi ſi quando tribunal Imperatorium aliquis requiret. Tunc enim omnibus ceſſantibus Imperatoria maieſtas litem diiudicabit, & decidet controuerſiam. Verùm huius aureæ bullæ ſegmentum, quod ſtatuit, vt quicumque ad qualecumque tribunal trahuntur, ſi imperatorij tribunalis auditorium requirant, admittantur, irritum factum eſt ex poſteriore iuſsione eiuſdem Imperatoris domini Alexij Comneni quæ euulgata eſt menſe Maio indictione 3. & ſtatuit poſt prooemium in hæc verba, *præſcribit* igitur omnibus vobis, qui iudiciis præeſtis, Imperatoria mea maieſtas, ne vnquam poſthac vlli obtemperetis reſcripto, quod iudicum quempiam iudicium ad ipſum tranſmiſſum exercere prohibeat, tametſi cinnabari ſubſignatum ſit, tametſi cereæ bullæ ſigillum habeat. ſed ſiquidem poſt libelli oblationem intra viginti cognitionis dies, qui in iudicium pertractus eſt, dimiſſionem Imperatoriæ noſtræ maieſtatis impetret, quæ alterum iudicem illi cui prius cauſa tranſmiſſa eſt, adiungat: in vnum conueniant conſtituti iudices, & legitimam deciſionem controuerſiis imponant. Si vero viginti dierum tempus decurrerit, ne alter iudex admittatur (quoniam hoc etiam legi videtur) neque vero prætextu, quod fortaſſe poſtmodum ſtatui poſsit, vt cauſa ad Imperatoriæ maieſtatis tribunal introducatur, nullo modo, quò minùs iudicium ferat, impediatur: ſed tranſmiſſam ſibi controuerſiam ad legis præſcripta exactè decidat: vt tamen litigator, ſi ſe iniuria affectum putet, à prouocatorio iudicio neutiquam excludatur. Atque hoc omnes vos iudices cognoſcentes, nitimini commiſſas vobis lites ſeruare, & legitimum illis finem imponere. Non vult enim Imperatoria mea maieſtas, vt poſteaquàm ex iuſsione ipſius ad iudicem quempiam controuerſia tranſmiſſa fuerit, per cuiuſmodicunque poſterius ſcriptum, quod controuerſiam ad Imperatoriam meam maieſtatem introduci demandet, cognitio impediatur: ſed vt illa apud eundem iudicem, aut (vt ſuperiùs dictum eſt) iudices, intra viginti cognitionis dies cum ipſo datos, vſque ad finem, ita vt ſubtrahi non poſsit, procedat: ac poſt iudicium finitum ei qui fortaſſe iniuria ſe affectum putabit, facultas ſit vt per prouocationem aliud tribunal imploret, aut potentiæ noſtræ audientiam requirat.

## MANVELIS COMNENI SIue Emanuelis.

*I. De executoribus teſtamentorum.*

MEnſe autem Martio, indict. 14. facta eſt Nouella ſancti noſtri Imperatoris domini Manuelis Comneni, quæ partim hæc ſtatuit: *cum* his hoc etiam, iis quæ ante ſcripta ſunt ſanciendo coniungimus. Multi homines in extremis ſuis diſpoſitionibus procuratores ſiue executores eorum quæ præſcripſerunt relinquunt, iiſque Chriſto, dulci iſto ac mundo ſalutari nomine, hærede ſcripto, rerum ſuarum diſpenſationem atque adminiſtrationem iniungunt. Hoc autem videntur facere, cùm pauperibus ſubſtantias ſuas diuidi præcipiunt. Quum enim mendicans accipit, aſtat Chriſtus, ac vnà cum illo manum porrigit. Quatenus namque, inquit, vni ex minimis hiſce fratribus feciſtis, mihi feciſtis. Iubemus igitur, vt quando huiuſmodi procuratoriæ diſpenſationes, & in pias cauſas diſtributiones, quæ ad animæ rectum ductum ac pupillorum, ſenum atque pauperum educationem & exhibitionem tendunt, proponuntur: in his iudiciorum protelationes, atque qui hinc exiſtunt inanes temporum decurſus, locum non habeant. Contingit enim hinc, vt defunctorum animæ damnum ſubeant, & communis omnium boni vtilitatiſque cauſa latæ leges commutentur in contrarium. Tum neque iuſtum eſſe Imperatoria mea maieſtas iudicat, vt qui ordo in reliquis iudiciis obtinet, etiam in iſtiuſmodi vſurpetur: ſed vt talium ſpecierum ambiguitates confeſtim ſoluantur: neque libellus detur, & cognitio in tres aut ſummum quatuor dies differatur: nulla iudiciaria dilatione introducenda, quid cuique iure competat, diſquiratur: citra omnem dilationem vtraque pars accerſatur, atque vt quid iuris ſe habere putet, proponat, exigatur: tùmque demum per breue tempus, in menſem fortè vnum aut etiam alterum extendendum, res in controuerſiam deducta, prout iudici viſum fuerit, conuenienter dirimatur: in ſua ſede ac ſoliditate firmiter maneant leges, quæ non mox à defuncti morte, ſed poſt aliquot dierum decurſum ſucceſſores ipſius in iudiciũ trahi ſtatuunt: quemadmodum quæ huc pertinent, fuſiùs in Baſilicis tractata ſunt. Si vero procurator ad dilationem vergere videatur, eáque euertere dolo deprehendatur, nec quemadmodum teſtator præcepit, procraſtinationes nectendo faciat: à rerum defuncti procuratione ac diſpenſatione remoueatur: eáque quibus Imper. ſtatuerit iniungatur: aut ſi is fortè peregrè ſit, præfectus vrbis vnà cum ſanctiſſimo eccleſiæ œconomo res illas procuret ac diſpenſet: qui de his quæ in huiuſmodi ſpeciebus adminiſtrarunt, Imperatori, aut (ſi fortaſsis hic peregrè erit) ſanctiſsimo patriarchæ rationem reddere debebunt. Non tamen prout Imperator iuſſerit defuncti voluntas adimplebitur.

*II. De feriis.*

CAEterum ſi quonam die iudicia ceſſent, exacte diſcere velis, lege adorandam illam diuinitus coronati, optimi ac ſancti noſtri Imperatoris, domini Manuelis Comneni nouellam, menſe Martio, indictione 14. anno ab orbe condito, 6674. emiſſam, atque hæc poſt prooemium complectentem.

Sancimus igitur, vt illi dies feriati ſint: quos in præſenti conſtitutione nominatim enumerabimus. Quorum alij omnino toti feriati ſint, vt nullo modo vlla ipſorum parte conſtitui iudicium poſsit, extra quam ſi forte Imperator diſpen-



ſationis modo, aut propter neceſsitatem (vt multa ſæpenumero rerum viciſsitudo nouiter introducit) in illis etiam iudicium conſtituere velit: alij vero ex parte à iudiciis ceſſent, à mane videlicet vſque ad ipſum diuini miniſterij tempus: vt iudicibus, precationibus, atque glorificando Deo vacare liceat, ac deinde poſt diuinum ſacrificium iuſtitiæ operam nauent, ſecundúmque legum vim iniuriam paſsis auxilium ferant. Verùm enimuero quibus ita poſt diuinum miniſterium iudicare permiſſum eſt, in conficiendis à ſe inſtrumentis, temporis, quo illa confecta ſunt, mentionem facient. Ac primùm quidem de omnino feriatis eſt agendum.

Natalis itaque dies puriſsimæ dominæ ac Dei genitricis, qui eſt octauo Septembris, feriatus eſt. Item decimus quartus, qui propter exaltationem viuificæ crucis honoratur. Item vigeſimus ſextus, propter Apoſtoli & Euangeliſtæ Ioannis Theologi transmutationem. Item ſextus Octobris: quod tum memoria ſancti Thomæ apoſtoli celebretur. Item 9 in honorem Iacobi Alphæi Apoſtoli. Item 19. in honorem Lucæ apoſtoli & Euangeliſtæ. Item 13. Nouembris, quod tum memoria patris Chryſoſtomi celebretur. Item decimus quartus, quod tum Philippus apoſtolus feſtiuiter honoretur. Item decimus ſextus, quod tum Matthæus euangeliſta & Apoſtolus honoretur. Item vigeſimus primus: quod tum Dei genitricis in templum introitus celebretur. Item trigeſimus quod tum Andreas Apoſtolus feſtiuiter honoretur. Item nonus Decembris: quippe quia tunc genitricis Dei noſtri conceptio celebretur. Item vigeſimus, vſque ad ipſum ſextum Ianuarij, vtpote quod diebus illis natalitia & baptiſmus domini & Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti celebretur. Item eiuſdem Ianuarij duodeuigeſimus, diuinorum patrum & doctorum Athanaſij & Cyrilli gratia. Item eiuſdem menſis vigeſimus quintus, propter memoriam magni patris Gregorij theologi. Item ſecundus Februarij, quod tum Seruatori obuiam itum ſit. Item tertius, celebrandæ memoriæ Simeonis Dei ſuſceptoris cauſa. Item vigeſimus quintus Marthij, boni nuntij ergo ad Dei genitricem delati. Item dies Paſchales ab ipſa Lazari reſurrectione, vſque ad ipſum poſt ſacrum Paſcha octauum. Item decimuſquintus Aprilis, in honorem apoſtoli & euangeliſtæ Marci. Item trigeſimus, in honorem fratris theologi & euangeliſtæ, Iacobi apoſtoli. Item octauus Maij, ob memoriam euangeliſtæ Ioannis theologi. Item decimus, propter memoriam Simonis Zelotæ apoſtoli. Item vigeſimus primus, propter memoriam ſanctorum ac apoſtolis æqualium, magnorum Imperatorum, Conſtantini & Helenæ. Item vigeſimus ſextus, propter memoriam apoſtoli Alphæi Iudæ. Item II. Iunij in honorem Bartholomæi apoſtoli. Item vndeuigeſimus in honorem apoſtoli Iudæ, qui & Thaddæus & Lebæus & Iacobus nominatur. Item vigeſimus quartus, propter Præcurſoris natalitium. Item vndetrigeſimus, propter principum apoſtolorum, Petri & Pauli, celebrationem. Item trigeſimus, propter duodecim Apoſtolorum celebrationem. Item vigeſimuſquintus Iulij, propter ſanctæ Annæ, matris Dei genitricis, obdormitionem. Item ſextus Auguſti, propter Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti transformationem. Item nonus, propter memoriam ſancti Matthiæ apoſtoli. Item decimuſquintus, propter glorioſam ſanctæ Dei genitricis emigrationem. Item vigeſimus, propter memoriam ſancti Thaddæi apoſtoli. Item vigeſimus quartus, propter Bartholomæi apoſtoli memoriam. Item vndetrigeſimus, propter venerabilis Præcurſoris decollationem. Hiſce omnino feriatis diebus connumerabuntur medietates quadrageſimalis ieiunij & pentecoſtæ: tum etiam Seruatoris aſſumptio, & omnes totius anni dominici dies: vt in illis omnis in iudicium aditus præcludatur, ac nemo iudicum iudiciale quiddam faciat. Sanè verò qui ex parte iudicium ſiſtent, neque toti (vt antea diximus) feriati erunt, hi ſunto: Menſis Septembris ſextus, quoniam tunc in Chonis ſummi ducis Michaelis miraculum prodigioſe peragitur. Item vigeſimus tertius Octobris, quoniam memoriam fratris Dei, Iacobi celebramus. Item vigeſimus ſextus: quia magnum illum martyrem & vnguento ſcaturientem feſtiuiter veneramur, Demetrium. Item primus Nouembris: quod miraculoſi illi anargyri, Coſmas & Damianus, feſtiuè colantur. Item octauus, quod conuentus defunctorum celebretur. Item duodetrigeſimus, quod ſanctus Stephanus martyr iunior celebretur. Item quartus Decembris, in honorem egregiæ martyris Barbaræ. Item ſextus in honorem miraculis celebris vnguentoque ſcaturientis Nicolai. Item decimus Ianuarij, in honorem diuini Gregorij Nyſſeni. Item decimus ſextus, propter adorationem venerabilium principis Apoſtolorum Petri vinculorum. Item decimus nonus, Propter recuperationem venerabilis defuncti Gregorij theologi. Item vigeſimus ſeptimus, propter recuperationem venerandarum reliquiarum Chryſoſtomi. Item ſeptimus Februarij, in honorem magnifici martyris, ducis exercitus, Theodori. Itẽ decimus ſeptimus in honorem præmiis decorati Theodori tironis. Item nonus Martij, nempe quod tum ſanctorum quadraginta Chriſti martyrum memoria celebretur. Item vigeſimuſtertius Aprilis, quippe quia tum magnificus martyr Georgius honoretur. Item ſecundus Maij in honorem magni Athanaſij. Item octauus Iunij, in honorem magnifici martyris Theodori exercitus ducis. Item nonus, in honorem ſancti patris noſtri Cyrilli Alexeadrini. Item vigeſimus ſeptimus in honorem ſancti & miraculoſi Sampſonis. Item primus Iulij, quia tum ſanctorum & miraculoſorum anargyron illorum memoriam colimus. Item ſecundus, quia depoſitionem precioſæ veſtis Dei genetricis recolimus. Item octauus, quia magnificnm martyrem procopium feſtiuiter honoramus. Item vndecimus, quia eximiam martyrem Euphemiam concelebramus. Item vigeſimus, quia prophetam Heliam honoramus. Item vigeſimus ſeptimus, quionam præmiis decoratum & miraculoſum Panteleemonem feſtiuè colimus. Item trigeſimus primus Auguſti, propter precioſi cinguli immaculatæ Dei genetricis depoſitionem. Atque hi quidem dies ſunt qui quodammodo feriati, & quodammodo non feriati ſunt. Quibus vero diebus propter natiuitatem aut creationem Principis feriamur hos Imperatoria mea maieſtas inter non feriatos collocat: præſentem ſanctionẽ à ſe inchoans. & per ea quæ ipſamet actura eſt, reliquos docens. Non perinde enim præſentis conſtitutionis ſermo quantumuis in illum attentis, atque imperatoriæ maieſtatis meæ actio perſuadeat. Mea itaque Imperatoria maieſtas, quibus diebus tum in hanc vitam producta, tum diuina prouidentia in Imp. deſignata eſt, ne feriati ſint, neque vllas inducias in illis iudicia habeant, ſancit. Sanè præter ſupra deſcriptos anni dies, omnes faſti erunt, & in illis iudicia, iudiciariiſque ſententiis conſentaneæ executiones exercebuntur. Perſuaſum autem habemus, Deo etiam hanc Imperatoriæ meæ maieſtatis ſanctionem fore gratam. Cùm enim Phariſæos exetraretur Dominus, neglectum ab ipſis miſericordiæ iudicium ante omnia cauſatus eſt.

*3. De ſynodica ſubnotatione patriarchæ Lucæ de nuptiis ſeptimi gradus cognationis.*

FActa eſt autem etiam poſtea iuſſio potentis & ſancti Imperatoris noſtri & domini emiſſa menſe Maio eiuſdem indict. quæ hæc in eius parte decernit.

Noſtra itaque Imperatoria ſublimitas hoc ſynodale de quæſito reſponſum, vel, vt vere dicam, decretum conſequenter diuinis canonibus legibuſ-

que ciuilibus editum, in poſterum obſeruandum & perpetuo immobile ac immutabile futurum iudicauit, eundem de propoſita quæſtione habens ſententiam, quam ſanctiſſ. D. & vniuerſalis patriarcha, & ſancta ac diuina ſynodus.

*4. De deciſione Siſinnij de nuptiis duorum fratrum cum duabus conſobrinis.*

CVm hæc ita ſe habeant, & de eiuſmodi contractu exorta eſſet controuerſia, emiſſa eſt Nouella conſtitutio potentis & ſancti noſtri Imperatoris & domini, menſe Iunio, indictione octaua, quæ hæc in fine perſequitur.

Itaque vt vtraque rectè ſeruentur & colantur. Imperialium & ſacerdotalium iuſsionum maieſtas: legúmque & canonum ſubtilitas, nec deciſio omnino ſoluenda eſt, nec rurſus permittendum vt omnino exerceatur. Sed media quadam & regia, vt aiunt, via eſt incedendum: & vtrumque eſt conſeruandum, nempe & reuerentia quæ debetur antiſtiti, qui illam deciſionem conſcripſit: & Imperatoribus, qui illius deciſionis meminerunt: & videndum nequid quod à legibus canonibúſque diſcrepet, ſuadeatur, quod hæc induxit deciſio. Oportet enim contractum ea deciſione introductum, iam quidem etiam ante interrogationem perfectum non diſſolui: ſed eos qui ſic matrimonio coniuncti ſunt, pœnis impoſitis grauari iudicio & examinatione illius loci antiſtitis, & conſeruari coniugium. Quòd ſi prius ſciſcitatum acceſſerint non concedere ſine conuenientibus pœnis & mandatis, propter eam quæ ſuperius dicta eſt, reuerentiam. Nec liberè, ac ſecurè, nullâque ad eos retardãdos allata cauſa ſciſcitãtibus permittere, ſed cum mandato, vel ipſos potius ab eccleſia, dictæ deciſionis, & eorum quæ in illa decernuntur, commemorationem accipere. Et ſi decretum quidem honorare volentes, quæ etiam in eo comprehenſa ſunt, velint inconcuſſa manere, ſunt omnino laudandi: ſin autem quod ab eo vetitum eſt velint agere, hoc eis facere permittetur, conuenientibus tamen eis prius pœnis impoſitis.

*5. De nuptiis cum duabus ſobrinis.*

QVia autem aliquando ad Imperatoris tribunal agitatum eſt, an poſſet vnus & idem duas ſobrinas in matrimonio habere: vtpote cùm contractus ad ſeptimmm affinitatis gradum deducatur, edita eſt Imperatoris domini Emanuelis Comneni iuſsio, quæ ſtatuit hoc non poſſe fieri: quoniam maritus cenſeatur vnius eſſe gradus cum vxore: & quod contractus ad ſextum affinitatis gradum deueniat.

*6. De ſententiis iudicum.*

HIs ſic definitis, quæſierit quiſpiam, cùm præſens canon definiat in omnibus cauſis plurium ſententiam vincere: Nouella autem conſtitutio potentis & ſancti noſtri domini & Imperatoris D. Emanuelis Comneni menſe Iulio 14 indictionis anni 6674. promulgata, conſtituat cum aliis & hæc nominatim. Si omnes non ſunt eiuſdem ſententiæ, ſed aliqui diſſentiant, ſi qui diſſentiunt, numero ſunt æquales, eorum præferetur ſententia quibus is qui iudicio præeſt conſenſerit, vtrum ſequi debeamus.

*7. Ne morientium epiſcoporum diripiantur bona ab exactoribus.*

PRæterea tene memoria conſtitutionem Septembris menſe, XIII. indictione emiſſam, Imperatoris domini Emanuelis Comneni, de non rapiendis ab exactoribus bonis, quæ ad defunctos epiſcopos pertinuerunt: quæ quidem hæc complectitur:

Res quæ & in Dei contemptum, & ad legum naturæ infirmationem, ab iis, qui, vt aiunt, neque Dei vocem, neque hominum vindictam formidant, vt eſt veriſimile, patratur, non ferenda omnino meo imperio viſa eſt, cùm ad eius aures perueniſſet. Quamobrem eam, vt omnino Chriſtiana profeſsione indignam, meum corrigit Imperium. Ei enim relatum eſt, in exceſſu è vita eorum qui vbiuis pontificatum gerunt in ſanctiſsimis Dei eccleſiis partim quidem antequam funus efferatur, partim vero poſtquàm elatum fuerit: eos qui in ea regione fiſci procurationem exercent, ipſorum mortis prætextu, eorum cellas inhumanè inuadere, & immobilia quæ ſunt ſub eccleſiis quæ eis obtigerant, & omnes quidem facultates quæ in illis inuentæ fuerint, auferre: vniuerſam autem eiuſmodi immobilium exactionem facere, & ea alioqui omnino conterere.

Imperium ergo meum, ne vel auditu quidem ferendam eorum eſſe audaciam exiſtimans, ne cùm damnum & calamitas ex antiſtitum morte ad eorũ eccleſias peruaſerit, hi multo maiorem calamitatẽ inuehant, & ea ſint quam iã habent moleſtia lõgè moleſtiores: ſtatuit per hanc præſentem conſtitutionem, ne ab iis qui ducales magiſtratus gerunt, vel deſcriptiones vel aliqua alia publici iuris exercent, tale quid in ſanctiſsimas eccleſias, vel earũ rum immobilia vel antiſtitum cellas, in eorum morte deinceps amplius innouetur: ſed ſi teſtati quidem moriantur antiſtites, eorum voluntate & ordinatione omnia fiant, quod ad ea attinet quæ in eorum cellis inueniuntur. Quod ſi fortè etiam inteſtati deceſſerint, omnia quoque fiant: vt ſacris canonibus & legibus videtur. Atqui in viduarum eccleſiarum immobilia ne pedem quidem omnino immittet aliquis ex ducibus, vel aliquibus aliis, vt dictum eſt: ſed nec quælibet illinc pars quomodocunque apprehendetur, ſed omnia partibus eiuſmodi eccleſiarum in ipſis adminiſtrabũtur, quemadmodum de ea legitimè & canonicè edictum eſt: donec ſcilicet, qui poſt mortuos antiſtites in eccleſias renunciati ſunt, in regione fuerint, & eorum adminiſtrationem apprehenderint: debente ſcire eo qui ad infirmationem alicuius eorum, quæ à præſenti imperij mei conſtitutione decreta ſunt, proceſſerit, quod etiamſi Deus in tali eius támque audaci incœpto in præſentia ſiluerit, omnino in futurum dignum eius ſupplicium reſeruans: Imperium tamen meum eum acerbius in præſentia aggredietur, pœnis eum corporalibus ſubiiciens, & ſuorum membrorum truncationibus, bonorúmque publicationi, & diuturno exilio. Non ſolum enim ex eo ſimplum reddet eccleſiæ, quod ei illo modo ab ipſo offerendum eſt, ſed etiam à fiſco talis quantitas in duplum abſque illa commiſeratione exigetur, perfectiſsima de ea re cognitione ab antiſtite illius temporis data myſtico, qui debet etiam vtraque adminiſtrare, de ſuo autem peccato omnino excuſationem non habebit. Venit enim meum Imperium, & eis per præſentem conſtitutionem euangelicè locutum eſt, quæ in ſacro cartophylacio ſeu tabulario reponetur, ſanctiſsimis eccleſiis opem latura, etiamſi eius exemplaria ſola competenti fide munita ab ipſis partibus inſinuentur: ea enim archetypi vim habebunt, & exhibentibus aderunt ad æternam ſecuritatem.

*8. De homicidiis voluntariis.*

QVia autem de voluntariis homicidis menſe Aprili. Indict. XIIII. à potentiſsimo & ſancto Imperatore noſtro domino Emanuele Comneno Nouella edita eſt, eam manda memoriæ quæ ſic habet, poſt prœmium ſic tractans.



IVBET ergo omnibus qui ſunt in regionibus iudicibus & militaribus quæ ſunt in eis copiis, & earum ducibus, vbi fuerit cædes voluntaria, & tale quidpiam auſus fuerit aliquis, vt omnes ſtatim excitentur ad apprehendendum homicidam, & eum vinctum mittant ad Imperatoriam circunſpectionem: vel ſi ea abſit, ad magnæ vrbis quæ à Deo cuſtoditur præfectum, vt ipſe in carcerem publicum introducatur, & tam in corpore quàm in bonis ſecundùm legum & Nouell. conſtitutionum poteſtatem puniatur, & alia ſupplicia ſubeat. Scientibus his omnibus, ſi probatum fuerit potuiſſe quempiam homicidam apprehendere, & non fecerit, eum non ſecus condemnandum quàm ſi Imperio inſidiatus fuerit: ſin autem latuerit fortaſſe quiſpiam, & ad ſanctiſſimam Dei magnam eccleſiam confugerit, poſtquàm pœnæ eccleſiaſticæ aduerſus eum proceſſerint, ex legali obſeruatione præſente quidem in regia vrbe eo qui imperium obtinet, ab eo mittetur in prouinciam quam cenſuerit, vt toto tum vitæ ſuæ tempus illic tranſigat, nec illinc effugiat, vt recurrat in eum locum in quo facinus execrandum admiſit. Abſente autem fortè Imperatore, à præfecto, vt dictum eſt, in aliquam remotiorem regionem exterminabitur, & illic vitæ ſuæ tempus peraget. Sin autem non ſolùm voluntariè, ſed etiam præmeditato captoque conſilio cædem perpetrauerit, non cogetur ex prædicta regia conſtitutione tonderi. Si enim eum qui ſua ſponte ad tonſuram accedit, non eo ipſo ſtatim admittit canonica ſubtilitas, ſed ei ſufficiente tempore attributo, & per ipſum mente eius firma ſit, an inſtabilis examinata, ſiquidem hominem inuenerit in eo quod primùm habuit propoſito perſeuerantem, & monaſtico habitu & corporis mortificatione ſe impigrè præparantem, boni quoque operis ei affert complementum, eo in monaſticam inſtitutionem ſtatúmque ſuſcepto: quomodo non fuerit à ratione alienum, & à legibus ſpiritalibus diſſidens, aliquem neceſſariò tondere, eúmque homicidam, quem Deus eouſque reliquit vt etiam manus fraterno ſanguine pollueret? Timendum eſt etenim, ne inuitus vitam angelicam ingreſſus, eáque vi ſuſcepta, venerando habitu in ludibrium vtatur. Homines enim leuiores quum in dementiam inciderunt, peſſimas & peruerſiſſimas actiones ſuapte natura aggrediuntur. Loco ergo tonſuræ ſtatuit mea Imperialis maieſtas, vt qui voluntariam cædem capto conſilio perpetrauerit, in cuſtodia toto vitæ ſuæ tempore degat & nec illinc quidem educatur iuſſu fortè Imperatorio per obliuionem exhibito. De eorum autem facultatibus fiat ſicut iuſſit Imperator memoratus. Quia autem plures homicidæ qui cædem meditato & conſilio capto perpetrant, ad ſanctiſſimam Dei eccleſiam poſtea accedentes, non vt facta eſt à ſe, ſed vt ad ſuam facit vtilitatem, cædem confitentur, iubet mea Imperialis ſublimitas, vt à ſanctiſſimo huius temporis patriarcha ad regionis antiſtitem, & qui ei ſubeſt clerum, quinetiam ad prouinciæ iudicem cum pœna ſcribat, & quemadmodum factam eſſe cædem ex illius reſcripto intellexerit, ita eam quoque perſequatur: & non eum qui capto conſilio cædem facit propter falſam ſuam confeſſionem, ad eaſdem pœnas & eadem ſupplicia admittat, ad quæ qui fortuitò & improuiſo in tale aliquod crimen incidit. Si quis autem homicida, qui ad ſanctiſſimam magnam eccleſiam confugerat & vel perpetuo exilio condemnatus, vel in vinculis eſſe, vel in perpetua eſſe cuſtodia toto vitæ ſuæ tempore iuſſus erat, ſolutus, inuentus fuerit in loco vbi cædem perpetrauit ambulare, vinctus ab exactore qui eſt in prouincia, ad meam Imperialem ſublimitatem mittetur: & quæcunque quidem res tunc ei inuentæ fuerint, exactori in lucrum cedent, & ei qui homicidam indicauit, ex æquo diuiſæ. Omnino autem curæ erit iis qui ſunt in ſanctiſſima magna eccleſia illorum iudicibus, vt cum conueniente canonica ſeueritate crimina cædis puniant, & tempora non temerè contrahant, nec pluſquam par ſit in iis quæ non decet, ſe lenes & clementes præſtent. Imperialis autem meæ conſtitutiònis exempla, ab iis qui præſunt iudiciis deſcripta, miſſa ad eccleſias quæ ſunt in prouincia ibi reponentur: vt eorum quæ ſunt conſtituta omnes ſcientiam habeant, & faciant quemadmodum eis comprehenditur. Quòd ſi is qui capto conſilio cædem fecit, tonſuram ſua ſponte elegerit, non abſque probatione inter monachos cooptabitur. ſed ſufficienti tempore accuratiſſimè & diligentiſſimè ex canonicis conſtitutionibus examinatus, & probatus, in monaſterio vel inuitus toto vitæ tempore manere cogetur, nec ei vnquam exire permittetur. Monaſterium autem erit omnino in alia prouincias & non in ea terra quæ mortui ſanguinem dehiſcens malè ſuſcepit.

*IX. Vt eccleſiarum & monaſteriorum quæ ſunt ad vrbem immobilia, intacta ſint à manu fiſci.*

POtenti ergo & ſancto noſtro Imperatori gratiæ agendæ ſunt, qui apoſtolico canoni conſequenter & præſenti conſtitutioni, eccleſiarum & monaſteriorum quæ ſunt ad vrbem, intacta & integra, immobilia conſeruauit à manu fiſci ſeu publici, per tres aureas bullas ſuæ Imperialis maieſtatis: quarum altera quidem Iulio menſe, IX. indictione, 6654. anno facta eſt, & conſtituit non lædi monaſteria, eò quòd iura quæ illis fortè adſunt claudicent: & ſecunda quæ menſe Octobri, VI. indictione 6665. anno emiſſa eſt, & iubet monaſteria indiuulsè & inſeparabiliter habere immobilia, etiamſi eis allegationes à cenſus deſcriptore datæ ſunt, quę pro iure fiſci faciunt. Hic autem ſitæ non ſunt, quòd non perpetua cautio & vtilitas monaſteriis ex iis ſuppeditetur, ſed temporalis. Alia verò quæ mẽſe Martio, vt indictione, 6666. anno edita eſt, & in omnibus ſecretis poſita, quæ poſt prœmium hoc expreſsè edicit:

IMPERIALIS mea ſublimitas aliquot ab hinc annis auream bullam emittere diſpenſaréque præuenit, iiſque quæ in hac vrbium regina ſita ſunt monaſteriis, & iis quæ ſunt in occidentali parte Steni, quantum eſt in littore & longius; ſimiliter & iis quæ ſunt in ſinu Nicomediæ, & vſque ad ipſam Nicomediam, & iis quæ ſunt in inſulis, Oxea, Prima, Chalce, Plate, ſancta Glyceria, Principo, Antigonia, Tragoneſio, Terebintho, ſancto Andreæ, ſancto Typhoni, ſancto Liberio, Codone, Pelago, Co inſulæ dimidio, Medicæ, & ſancto Demetrio, & iis quæ ſunt in poſſeſſionibus portuum, & vſque ad complexum Athyræ: & (vt ſemel dicam) iis qui circumcirca reginam ciuitatum exercentur monachis, viris & mulieribus, iis multa iura largita eſt, & in immobilium detentione ac dominatione, quæ quibuſdam iuribus ad eos pertinent, firmam & inconcuſſam poſſeſſionem conceſſit: quemadmodum aurea bulla hæc fuſius perſequitur. Sed quoniam cauillatores quieſcere non potuerunt, ſed fiſci ſeu publici prætextu eis grauem afflictionem intulerunt: Imperialis mea maieſtas Deum placare & propitium efficere volens, ob ea quæ ipſum vt homo offendit: ſimul etiam volens magni Imperatoris Chriſti ſcilicet, milites, qui vitam monaſticam propter ipſum elegerunt, & ſpiritus armaturam induerunt, ſocios habere, & ſtrenuos defenſores aduerſus hoſtes tam qui videntur quàm qui non videntur, bono illi fundamento tectũ quoque proportione conueniens imponere volui: & præſentem

aureàm bullam ea ex cauſa edidit, per quam ſtatuit & definit, omnia immobilia quæ hodie ab enumeratis monaſteriis poſſidentur, vel etiam ſilentiariis & anachoreticis cellulis, vel lauris & omnino monaſticis habitaculis, quocumque nomine vocentur, parœcias, prædia, conuentus, tributa, vectigalia, portus, flumina, iura maritima. & vt ſemel dicam, quodcunque ius in poſſeſſione immobili conſideratur & in quocunque loco ſitum ſit, in quo ſcilicet hucuſque non data eſt iis denotatio ſeu deſignatio ab iis qui ſunt in ea regione cenſus deſcriptoribus, quæ publicum in iis ius habere comprobet, habere dictas manſiones perpetuo dominio, vt Imperij mei domum & liberalitatem, & eis deinceps ſemper in poſterum dominari, etiamſi probabili vel non probabili de cauſa aliqua eorum, vel etiam fortaſſe omnia hucuſque detinuerunt: vel etiam ſine vllo titulo,; vel ex titulo quidem qui malè ſe habet, vel eſt fortaſſe falſo confictus. Omnia enim quæ ab ipſis in quocumque ſitu poſſidentur in oriente & occidente, ſiue ex iis qui eo tempore adminiſtrabant imperatoribus ſiue ſint ex fragmentis, ſiue ex commiſerationibus, ſiue è loco motis, vel caducis, vel ex vilibus quæ penduntur diariis, vel ex vilibus calamitate vexatis, vel iis quæ à potentibus vendita ſunt, vel contrà: vel ex correctione malè factarum venditionum, &, ſi in aliis locis iuſſa dari, in aliis tradita] ſunt; vel donata, non tradita ſunt: vel tradita, donata non ſunt, vel quouis alio modo malè ab ipſis detinentur, inconcuſsè, & nullo negotio eis exhibito, à dictis monaſteriis vult meum Imperium ea in æternum poſſideri, vt meum mei Imperij donum à mea liberalitate & munificentia profectum.. Cùm enim ſola nunc apud ipſos immobilium inueniatur detentio, quæ pro omni titulo debet eis ſufficere, eſt ſuperuacaneum, de vllis aliis curioſè inueſtigare. In omnibus enim quæ hodie poſſident, præterquam in iis in quibus à publici cenſus in ea regione deſcriptoribus documento data ſunt, quæ ius fiſci ſeu publici, vt dictum eſt, probant, debet præſens aurea Imperij mei bulla ſufficere, & pro donatione, & emptione, & quouis alio titulo ſatis eſſe: etiam ſi quodcunque aliud ſecretum in eis probetur. Nec cogentur monaſteria, ob ea quæ nunc poſſident immobilia, antiqua alia quæ eis adſunt iura proferre. Sed hæc præſenti aureæ bullà ſcriptura pro omni iure vtentes, ea contenti eſſe debent, vt quæ eis, vt priùs ſcriptum eſt, ſufficere debeat, & pro donatione & pro traditione, & quouis alio iure. Sin autem innitante fortaſſe tempore voluerit vllum monaſteriu m iis etiam quæ habet iuribus & titulis vti, ea pro ſe afferens, à nullo penitus prohibebitur: hoc enim non faciet neceſſario. Si autem hoc propria voluntate elegerit, nemo impediturus admittetur. Non ſolùm autem ad probandum ius terreni quod habent, monaſteriis ſufficiet præſens bulla aurea, ſed etiam in parœciis quæ nunc ab eis detinentur, & prædiis, vectigalibus, conuentibus, traiectionis ſolutionibus, portubus, fluuiis, iuribus maritimis, & quocunque alio iure, quod ab eis poſſidetur, præter quàm in iis quibus documenta pro publico (vt ſæpe ſuperiùs dictum eſt) aſſumpta ſunt. Sin autem recenſeri iuſſa ſunt vel amputari quædam tributa, vel pacta, vel militiæ, vel publica, vel libellica, vel aliquid aliud quod ad publicum pertinet, & non factum eſt quod recenſendum erat, vel habet aliquod aliud ius quod apprehendi poſſit, monaſteria ex eo nihil lædentur. Quid autem opus eſt multa dicere, & enumerare, & exempli gratia aſſerre? Verborum multitudinem Imperij mei maieſtas prætercurrens, ne quis in eiuſmodi rebus callidus & vafer nonnullis quidam dictis, ex iis cauſis quæ immobilia concutiunt, aliis verò ſilentio præteritis, verba arripiat, & more Iudaico literæ inſiſtat, & conetur in iis quæ dicta non ſunt, monaſteria agitare & vexare, vniuerſali & generali oratione Imperium meum vult & decernit, vt quod in iis quæ hodie à monaſteriis poſſidentur, vel in ipſis ſunt monaſteriorum; cathedris, pro publico cogitatum fuerit ab aliquo, vel nunc, vel quandocumque, monaſterio datum eſſe reputetur. Et ſi nulac hoc cogitarit quiſpiam vel dixerit, id quoque ſtatim apprehendet monaſterium, vt hodie à mea Imperatoria ſublimitate donatum. Quod enim ad ea attinet quæ nunc poſſident immobilia, de quibus pro publico documenta non acceperunt monaſteria; imperium meum vult vnumquodque eorum publicum exiſtimari, & perpetuam firmitatem obtinere, & à nullo de ea re diſceptari, & quemadmodum publico nulla à ſe moleſtia negotiúmve exhibetur, ſic nec ſilentiaria, nec monaſteria, nec reliqua ab vllo publici curatore litibus agitabuntur, ſiue quis probabilem, ſiue non probabilem cauſam afferat, ſiue cuiuſmodicumque ſit quod loquetur. Quiſquis enim hoc facere aggreſſus fuerit, inualida & reuera infirma dicere videbitur: & citra vllam miſericordiam, eius facultates fiſco conſecrabuntur; & ipſe omnino infamis ſemper erit: vtpote qui Imperatori aduerſetur, qui piè ac religioſè omnem moleſtam vexationem à monaſteriis in iis quæ ipſis data ſunt, per præſentem auream bullam amoueat, & per ipſam exiguum aliquod donum offerat pro innumerabilibus beneficiis quæ à munifica eius dextra accepit. Non licebit ergo nec publici cenſus deſcriptori, nec vllius ſecreti præfecto, vel peræquatori, vel in rebus agenti, vel alij perſonæ quæ publicum tractet, monaſteriorum immobilia deſcribere, vel focos cenſere & terræ menſuras inueſtigare, vel parœcorum quantitatem, vel quod terræ amplius poſſidetur, vel non iuſto pretio emptum eſt, vel iniuſtè detinetur, examinare. Sed quoniam Imperij mei mandato acta facienda ſunt, eorum nomine quæ hodie à monaſteriis detinentur immobilium, & parœcorum, tunc demum iuſtè monaſterium moleſtia afficietur, & quod iniuſtè detinet, ab eo auferetur, quando publici cenſus deſcriptor oſtenderit monaſterium extra terminium occupare loca vel parœcos, vel ius aliud. Nec enim licentiam habebunt monaſteria augere & amplificare ea quæ ab ipſis hodie poſſidentur, ſiue parœci ſint, ſiue loci, ſiue ἀυτȣ́ργια. Verumtamen per huiuſmodi occaſionem non licebit exactori aut deſcriptori vlli, fumarium vel menſorium, aut aliud quodpiam vectigal quod ad ipſius officium pertineat recipere ab immobilibus quæ ſupraſcriptis ſubiacent monaſteriis. Qui enim contrà auſus fuerit, ſciat ſe non tantùm id quod exegit multiplicatum reſtiturum, ſed & omnium bonorum publicationi cum infamia & ciuilium munium incapacitate ſubiectum iri. Sic enim vult mea maieſtas iam manifeſtatorum monaſteriorum immobilia omnia haberi ab vnoquoque exactore, quaſi non ſubſint ipſius officio vel poteſtati. Et quemadmodum exactores in non ſibi ſubiectis prouinciis nihil iuris habent, vt in iis agant adminiſtréntve quicquam: ſic nec in immobilibus; monaſteriorum exactores prouinciarum, quibus ea ſubſunt, cenſebuntur exactores. Quæ igitur fient acta, & deſcriptiones ab iis quos Imperium meum ſtatuerit ad probationem eorum quæ à monaſteriis poſſidentur, competentibus ſecretis propter notitiam inſinuabuntur Scire namque debent omnia monaſteria ſi quod ex iis deprehenſum fuerit aſtutiam aliquam vel colluſionem vel dolum feciſſe in immobilibus, quæ hodie ab ipſis poſſidentur, non ſolùm nihil vtilitatis ex hac meæ maieſtatis aurea bulla conſequuturum: ſed etiam caſurum iure conceſſo prædictis, monaſteriis per præceden-

tem



tem mei Imperij auream bullam. Deinde autem ſuſtulit hæc aurea bulla omnem quoque iuſſionem quæ ei aduerſatur, quæ ſcilicet facta eſt vel fiet: & ſtatuit vt monaſteria ſuis quoque antiquis titulis vtantur.

### x. *De immobilibus magnæ eccleſiæ.*

ET illi quidem antiquo & celebri Solomonis ſapientiæ templo pro viribus offerebant omnes: & huic quoque ſacro & maximo templo, quod eſt ſub nomine Dei ſapientiæ, qui ex Solomone & Dauid ſecundum humanitatem, deriuatur glorioſè & regaliter extructo, cuius erat illud Solomonis præfiguratio, nouæ inquam Sion, arcæ ſanctificationis, Seruatoris noſtri eccleſiæ, (quam ſuper Apoſtolicorum mandatorum petram adeò ſtabilem & immobilem Spiritus ſanctus ædificauit) multi diuerſa munera obtulerunt, quæ in immobilibus poſſeſſionibus ſpectantur, ad orientem & occidentem ſita: ſed nonnulla in inſulis (ſunt autem eorum quæ dixi, per redemptionem multa, ne dicam plurima) publico ea applicare decreuerunt ex diuerſis cauſis ij qui ſunt vbique publici cenſus deſcriptoribus, & in eiuſmodi rebus exercitatis. Quoniam autem hoc ad mei Imperij aures frequenter delatum eſt relatione eorum qui hoc magnum & diuinum templum diſpenſant; ſtatim noſtra potentia nihil cunctata, hanc præſentem bullam huic venerabili domicilio elargita eſt, per quam ei purè donat & concedit noſtra pietas omnia quæ ad fiſcum ſeu publicum quomodocumque pertinent, ex iis quæ ſunt in oriente & occidente, & ab eis in omnibus inſulis poſſidentur, immobilium poſſeſſionibus, tanquam eius donum aliquod & ſacram oblationem, ſiue ſint parœci, ſiue terra fortaſſe arabilis, vel pratenſis, vel conſita vitibus, vel hortenſis, vel cuiuſmodicumque prædia, ſiue in eorum domibus agant famuli negotiatores vel artifices, etiam caſtra in aliquibus eorum extructa ſint, vel aliquid aliud quod ad publicum vtique pertinet, inuentum fuerit. Corrigit autem meum imperium per præſentem auream bullam quæcunque claudicare inueniuntur in iis quæ dictæ magnæ Dei eccleſiæ adſunt viribus ac titulis in omnibus eiuſmodi immobilibus quæcumque ea fuerint, & omnia quæ illis adſunt in oriente & occidente, & in omnibus inſulis; vt nunc à meo Imperio data, & ei conceſſa reputentur per præſentem bullam auream noſtræ ſerenitatis. Ob eam enim cauſam & exactas procedere deſcriptiones, quæ declarent cuiuſque generis immobilia, & qui eis præſunt incolas ac inquilinos: hoc ampliùs inuenta in iis omnis generis ἀυτȣ́ργια à locorum deſcriptionibus, eorúmque ſubſcriptionibus confirmari: & in perpetuam ſecuritatem parti ſanctiſſimæ magnæ eccleſiæ tradi iubet noſtra maieſtas: vt omnia ſint manifeſta & extra controuerſiam poſita, nec vllo tempore in diſquiſitionem reuocentur à deſcriptorum quoquam, vel inſpectorum, vel peræquatorum, & eorum qui aliter publica perſcrutantur declaratarum deſcriptionum competentibus ſecretis, in futuràm rei memoriam inſinuandarum. Neque enim vnquam eorum quis poterit vllo modo ingredi huiuſmodi immobilia, aut ea in controuerſiam deducere & diſquiſitionem. Sed nec inſtrumenta in iis requirere non fumarium vel metreticion exigere, aut aliud vllum vectigal excogitatum in deſcriptorum lucrum. qui prohibentur inſinuatione ipſa & ſola præſentis aureæ bullæ mei Imperij, & deſcriptionum, quæ vt ſuprà comprehenſum eſt, valituræ ſunt. Omnis autem facta iuſſio ſiue de prius ſeparatis, ſiue de fragmentis, ſiue de commiſerationibus, ſiue de iis quæ ab humilibus ordinibus, ſiue de iis quæ inciſionibus ſubiecta ſiue de militiis affectatis, licèt compenſatio facta non ſit, ſiue de non adquieſcendo factis ſine quantitate donationibus,; ſiue de quacunque re edita fuerit iuſſio, & vlla in re repugnet præſenti imperij mei bullæ aureæ, irrita erit &, inualida, & ſi ne irrita fiat, in ea expreſſum ſit niſi nominatim pronunciatum ſit. Omnium enim iuſſionum quæ factæ ſunt, notitiam habet mea pietas, quas ſingulatim enumerare ſuperuacuum exiſtimauit: & vt expreſſim enumeratas & euerſas quod ad hanc aureæ bullæ orationem attinet, cenſeri conſtituit mea maieſtas. Sed nec alia vlla quæ in poſterum fiet iuſsio huic piæ ſcripturæ præualebit: quinimo & illa quatenus præſenti meę maieſtatis definitioni aduerſatur, irrita fiet nullarúmque virium: licèt, ne ſubuertatur, appoſita ſit clauſula, Niſi nominatim pronuntiatum ſit, aut quæuis alia diſtinctio. Vt autem ſint manifeſta quæ adſunt ſanctiſſimæ Dei magnæ eccleſiæ immobilia, omnia in præſenti bulla aurea apertè inſcripta ſunt; quæ habent hoc modo: In Thracia & Macedonia illa & illa, & deinceps enumerat omnia immobilia. Et poſt horum enumerationem ait, Iudæi ſtrobilitæ vbicumque inuenti, & excuſſio amplior capacitate triginta militum. Sancit Imperialis mea poteſtas ſanctiſſimam magnam eccleſiam & omnem eius partem habere ius ſuum inuiolatum omnino & inconcuſſum, cùm exactiores fieri debebunt terminorum definitiones à locorum deſcriptoribus, vt ſæpe dictum eſt. Verùm eo prætextu non licebit prædictis deſcriptoribus fumarium exigere vel metreticon, aut neceſſariorum dationem, vllámve exactionem facere à quibuſcumque immobilibus eius. Sed abſque vlla collatione & petitione prædictas finium deſcriptiones conficient. Quòd ſi quis auſus fuerit violare quidquam eorum quæ præſenti aureæ bullæ oratione maieſtatis meæ definiuntur, præter Imperialem indignationem, in periculum veniet ſubeundi pœnam triginta librarum, quæ ſine commiſeratione à domeſticorum ſecreto, ex aditione ſanctiſſimæ magnæ eccleſiæ exigentur: quippe cùm firma ac munita ſit præſens aureæ bullæ oratio, facta menſe Auguſto, 1. Indict. ann. 6661. cui noſtrum pietate præcellens ſubſcripſit Imperium.

### x i. *De inſtrumentis omnium quæ vbique ſunt eccleſiarum ob poſſeſſionem immobilium.*

PRæterea autem emiſſa eſt & alia bulla aurea Imperatoris, quæ dicitur medicatrix, vtpote quæ fortaſſe medeatur titulis & iuribus omnium eccleſiarum quæ claudicant, epiſcopatuum ſcilicet, & metropolium, & ipſius magnæ eccleſiæ quæ etiam ad verbum ſic habet: Qui poſt Moſem fuit electi illius populi Imperator Ieſus, Hierichuntis feſtinans munimenta ac propugnacula diruere, ſacerdotibus iuſſit in circuitu tuba canere: & ſic murorum propugnacula mirabiliter deiecit. Imperio autem meo, quod nouo populo à Deo electo præeſt, poſt illum principem populi ſeruatorem & ducem alium Moſem inclitum, dico Imperij mei dominum & genitorem, veluti quædam Hierichuntina mœnia, diruere properanti communis Chriſtianorum inimici propugnacula, occidentalis dico draconis qui in Sicilia tyrannidem exercet, & illinc aduerſus Romanum Imperium latenter prorepit, veluti ſpiritalibus quibuſdam tubis, veſtris antiſtitum Deum nobis quotidie placantium precibus, ad illum diruendum adiuuantibus opus eſt. Sed & ipſe diuinus Moſes, quando cum Amalech prælium commiſit: ſacerdotibus vtrinque innixus, ſic eum fugauit, & vicit. Sicut ille ergo meum quoque Imperium, antiſtitum ſuſtentaculo indigens, ad aciem aduerſus nouum hunc Amalech propoſitam: & veluti quandam lucis columnam nouum hunc Iſrael præcedentem; & eius greſſus dirigentem, preces

eorum habere volens hanc præſentem auream bullam, & omnium eccleſiarum matri, nouæ Sion, Dei ſapientiæ habitaculo, & iis qui ſunt in omnibus inſulis & in oriente & occidente antiſtitibus donauit: eorum pro Imperio meo preces magis confirmans. Rectè enim ſcit meum Imperium Regem non ſeruari per multam potentiam, & gigantem non ſeruatum iri in multitudine virtutis ſuæ, mendax autẽ equus ad ſalutem, vt dicam cum Propheta & Pſalmographo & Dei patre. Volens enim vt firmitas & ſtabilitas eccleſiæ quæ omnibus præeſt, ſeruetur, & omnibus dictis antiſtitibus ſanctarum quæ vbicunque ſunt eccleſiarum, & ſecuritatem titulorum ac iurium quæ illis adſunt, in ipſorum immobilium detentione firmius conſtituens, & præterea corrigens ſiquid in eorum iuribus claudicet, & mero iure ſit deſtitutum. Et non ſolùm hoc, ſed & ſi quod ius conſequi debeant ad eiuſmodi immobilium dominationem, detentionem, & proprietatem, id fortaſſe prius factum non eſt, hanc Imperij mei bullam auream eius quod deeſt medicatricem illis tradidit, quæ veluti perfectum & integrum & omnino inconcuſſum ius eius oſtendit. Per quam confirmat quidem & tutius facit quodcumque ius adeſt ſanctis eccleſiis, eiſque quæ illis præſidet, in ipſarum immobilibus cuiuſmodicumque fuerint, & vbicumque ea ſita ſint: & quod bonum eſt, melius fecit, Imperij mei ſententia & calculo. Quicquid autem eſt in eis, in quibuſcunque quis ſpectatum id dixerit, ſiue in aureis bullis diuerſorum Imperatorum, ſiue in ſigillis, & ſiue in ſimplicibus iuſſionibus, ſiue in reſolutionibus, ſiue in actis claudicans, & aliquatenus ab eo quod eſt exactum, & à debita conſequentia deficiens regalium iuſſionum & legum, corrigit, & decernit, dictis ſanctiſſimis eccleſiis nullum ex ea re præiudicium in æternum afferri: ſed, quod in eis eſt infirmum & imbecillum eſſe firmiſſimum & nulla iuris allegatione oppugnãdum ab eo qui velit aliquid pro fiſco ſeu publico dicere, vt quod præſenti Imperij mei bulla aurea confirmetur & valde corroboretur. Et vt ex multis eorum quæ cuipiam in mentem venire poſſint, pauca quædam Imperium meum memoria repetat: ſi fortè donatio ipſius parœcorum ſit ſine certa quãtitate, aut menſurarum terræ, vel auturgia alia innouarint in huiuſmodi poſſeſſionibus fortè quæ ipſis donatæ non fuerunt: aut donatæ quidem fuerunt, iuſſiones autem de his factæ non ſunt reuocatæ: vel in prius deſignatis donatis ipſis iuſſiones de prius definitis non ſunt reuocatæ: aut iuſſionum principalium quæ ipſis tributæ ſunt, aliquæ nullo modo inſinuatæ fuerunt, aut fuerunt quidem inſinuatæ in aliquo ſecreto, non tamen competente: aut inſinuatæ perierunt, exempla autem earum fide digna reperiuntur: aut acta quæ procedere debebant non proceſſerunt, vel quæ proceſſerunt, non ſunt inſinuata: aut quæ fieri debuerunt rationum computationes, factæ non ſunt, aut fortè quamlibet aliam ob cauſam, ſiue ex parte ſiue in totum iura ſæpe dictis ſanctis Dei eccleſiis & matri omnium claudicant, & inde firmitatem ſuam non habeant: etſi non quæ id faciat cauſa nominatim expreſſa ſit, aut fortè alia ipſis exhiberi debuerunt iura de huiuſmodi immobilibus, velut quibuſdam omnino procedentibus in ipſis (nam ſi documentum de quopiam ex poſſeſſis à ſe immobilibus nequaquam adquiſierint, nihil à præſente aureæ bullæ oratione iuuabuntur) nulla in re hæc omnia, & quæcumque alia cuipiam pro fiſco certanti in mentem quandoque venerint, lædere vnquam ſanctiſſimas eccleſias, & Sophia Dei templũ, reliquáſque metropoles, archiepiſcopas, epiſcopas, poterunt, in iis immobilibus, quæ (vt dictum eſt) ad ipſas pertinent, ex qualibuſcumque documentis. Nã ſi nullũ quæſierunt vnquã ius in aliquibus fortè immobiliũ quę habẽt, nullã ex præſenti aureę bullæ oratione ſentiẽt vtilitatẽ: ſicut nec in quibus fiſcus ad hodiernum vſque diem poſſeſſionem habuit ex iuſta quapiam cauſa: in his enim omnibus iuris obſeruabitur exacta diſciplina. Si quis igitur voluerit per auaritiam, aut quampiam aliam cauſam, ea contemnere quæ hac chryſobulla mei Imperij oratione definita ſunt: primum quidem ſanctæ Trinitatis ſplendorem, cùm ad tremendum ſiſtemus tribunal, non conſpiciet: excidet autem & Chriſtianorum parte, vt Iudas duodenario. Et præter hæc execrationem ſibi conciliabit primogenitorum ſanctorum, iuſtorum, & deiferorum patrum qui ab æuô præmortui fuerunt.

*12. De citatione abſentium.*

AC in iis quidem conſiſtit canon. Tu autem ſcias, terminum qui hic præſtituitur, hodiè locum non habere, & per tria xxx. dierum edicta omnes actores & reos accerſiri, cuiuſcunque ſint ſtatus, & cuiuſmodicunque cauſa ſit: ſecundùm Nouellam potentis & ſancti Domini noſtri & Imp. menſe Iulio editam, indict. XIIII. anno 6674. Sed hoc quidem ſeruatur, quando per libellum & reliquam iudicialem conſequentiam pecuniaria vel criminalis cauſa aduerſus Epiſcopum illata fuerit. Si autem per ordinem aduerſus Epiſcopum vel clericum aliqua eccleſiaſtica quæſtio denuntiata fuerit: quando nec libello opus eſt, vel aliqua alia iudiciali conſequentia: & qui accuſatur, ſeu defertur, non adeſt: punietur ſecundum LXXIIII. canonem apoſtolicum, ſicut condemnatur ſeu punitur etiam à legibus contumax impudens.

*13. De tonſura mulierum degere volentium in monaſterio, poſt trimeſtre facta.*

NOn eſt lex ſcripta quæ ſtatuat vt ſi qua tonderi atque diuortium facere cum marito velit, ne confeſtim tondeatur, ſed in monaſterium abducatur, & trimeſtri ſpatio exploretur num fortè in ipſo velut pugnæ initio tonſuram deprecetur. Sed ex inſcripta conſuetudine, ſæpenumero in iudicio probata & confirmata, receptum eſt, ne aliter mulieri tonſura permittatur, quam ſi poſt tres menſes interrogata ſit, an in hoc bono propoſito permanere velit. Ac ſanè hac de re coram Imperatorio tribunali ſatis certatum eſt. Cùm enim multi dicerent, debere Pyrrogeorgij illius vxorem confeſtim detonderi, quòd firmi iudicij eſſet, vt quæ etiam quadraginta annos haberet: ac verò nulla lex ſcripta de trimeſtri iſto ageret: à Deo coronatus optimus & ſanctus noſter Imperator longam conſuetudinem (vt dictum eſt) confirmatam pro ſcripta lege ſuſcepit, atque ſubnotatione confirmauit.

*14. De foro Iudæorum.*

CVm moris eſſet vt Iudæi coram ſolo Steni præfecto litigarent, optimus atque ſanctus noſter Imperator ſtatuit vt coram quocumque tribunali ſecundùm leges cauſas agerent. Ac conſuetudo pro nihilo habita eſt, vt quæ legitimè nõ fuiſſet cõfirmata.

## ALEXII COMNENI SECVNDI.

*1. Ne monaſteriorum prædia deſcribantur.*

IMperium meum ex veſtris precibus exaltatione indigens, & veſtigiis domini & patris ſui bonæ memoriæ volens inſiſtere, illius quoque in eos qui ſunt Deo dedicati beneficentiam imitari conſtituit. Ideo per hanc vnam in vos beneficentiã & Deo, qui ipſum Imperatorem fecit, gratificatur, Imperatoriſque & patris noſtri ſanctæ animæ, & noſtræ potentiæ profectus in bonum baſim ac fundamentum ponit: & veſtræ petitioni ſe inclinans, vt vim ſuam habeant,



ſintque ſtabiles firmæ ac immobiles, quæ de veſtris monaſteriorum beneficiis aureæ tres bullæ emiſſæ ſunt à ſancta illius maieſtate, decernit, & vt in eodem robore immobiliter permaneant in quo à principio expoſitæ ſunt, & quæ iis conſequenter proceſſerunt, traditionis acta ſecuritatem referant, etiam ſi poſt biennium facta fuerint: licet fortaſſe quædam eorum in conuenientibus ſecretis priùs poſita non fuere, iis quæ ad interpretationem vel ſubuerſionem virium bullarum aurearum particularem vel generalem editæ ſunt iuſſionibus, quæ in noſtris monumentis declarantur, quomodocumque emiſſę fuerint, per præſentem reſolutionẽ inutilibus inualidiſque redditis, & perinde ac ſi ne eſſent quidem omnino reputatis. Ceſſabit autem & quæ hucuſque veſtris monaſteriorum immobilibus in Thracia & Macedonia ſitis, inſultauit, Prætorici & Catepanici vſus exactio, ſtuppæque & axungiæ redemptio & exactio: tanquam per hanc præſentem reſolutionem exciſæ & radicitus extirpatæ, & eo redactæ vt nec ſint, nec nominentur: prætoribus, & exactoribus, & catepanis, & iis qui ſtuppæ & axungiæ redemptionem vel exactionem exercent, iiſque qui illis miniſtrant, ſic eiuſmodi immobilia prætercurrere debentibus, perinde ac ſi ne in ſuis quidem omnino regionibus ſita eſſent: vtpote quæ non ſint a publico omnino requirenda in omnibus quæ hoc modo decreta ſunt ipſi, ab initio hodierni diei repetiti diuturno, & deinceps in omne ac perpetuum tempus, ſuſcepta ſine contradictione, nec habeantur pro deſcriptis in publicis actis, licèt autem non deſcriptæ ſint in actis, ſed alio quo modo agnita, & ſic recepta. Si quis autem præter ea quæ conſtituta ſunt, his aureis bullis & præſenti ſolutione mei Imperij, fuerit auſus aliud exequi in quibuſuis poſſeſſionibus immobilibus veſtrorum monaſteriorum, præterquam quòd læſæ maieſtatis tenebitur reus, (ſicut his aureis bullis definitum eſt) & ab eminentiſſimo temporis illius myſtico illatum cuipiam veſtrarum poſſeſſionum damnum ſarcire compelletur. Monaſteriis quoque omnibus viciſſim curæ erit, tam iis quæ ſunt intra vrbem quàm quæ extra, ſub terminis iis aureis bullis comprehenſis Imperatoris bonæ memoriæ inclyti domini & patris Imperij mei, ea peragere, quæ in veſtra ſuggeſtione declarata ſunt: niſi velint tali excuſatione priuari, eo quod ſemel ea neglexerint.

## ISAACI ANGELI.

*2. De metropolitanis reuocantibus ad ſe pertinentes epiſcopas, iure metropolis aut archiepiſcopatus honoratas.*

QVoniam autem menſe Aprili, XI. indict. anno 6707, edita aurea bulla Imperatoris domini Iſaacij Angeli, quæ & metropolitanis epiſcopatus ad ſe pertinentes, & metropolium vel archiepiſcopatuum honore donatos ad ſe reuocantibus, & iis itidem qui imperialem circunſpectionem priuare conantur, ne epiſcopatus in metropoles & archiepiſcopatus erigat, ſecundum ſibi datam à ſuperis poteſtatem, os occludit: à nonnullis quæſitum eſt quid ſit quod canone comprehenditur, vt honore affectæ metropoles ſolum honorem habeant, vtpote aliis iuribus veræ metropolis ſeruatis. Dicimus de ea re dubitationem ab hac Imp. conſtitutione diſſolui. Quæſitum enim eſt, & poſt multas rationes allatas, hæc eius rei gratia expreſſim comprehenſa ſunt: *Et quod* vniuerſali ratione & generaliter expoſita diſpoſitione, eccleſias quæ iuſſione Imperatoria in altiorem thronum eriguntur, honore quoque dignas cenſeri oporteat, & electiones illic procedere ex forma canonica, quæ in magna eccleſia conſecuta eſt, metropolitanis & archiepiſcopis conuenientibus, & metropolitanum eligentibus: hoc & Imp. mea ſublimitas decernit, & hanc conſtitutionem ſancta quoque ſequetur ſynodus, vt quæ eccleſiaſticum ritum accurate ſeruet, & à canonica rectitudine non excedat.

*2. De nuptiis ſeptimi gradus.*

SCias verò licèt ſynodalis hæc deciſio, & ipſam confirmans Imperatoria iuſſio, conſanguineorum in ſeptimo gradu matrimonium minãter prohibeat: indictione tamen 4. anno 6694. cùm dominus Baſilius Camaterus patriarcha eſſet, ab Imperatore noſtro ſancto domino Iſaacio Angelo iuſſionem eſſe factam, quæ ſtatuit ne ex dictis actis, matrimonio poſt illa inter longè feliciſſimos Cæſares, dominum Ioannem Cantacuzenum videlicet, atque germanam Imperatoris ſororem dominam Irenen, contracto, quamquam in ſeptimum conſanguinitatis gradum referatur, præiudicetur; ſed quantum ad illos, & quidem ſolos, quæ à ſynodo atque Imperatore domino Manuele de iſtiuſmodi nuptiis determinata ſunt, inefficacia ſint. Quòd etiam à ſynodo approbatum eſt.

*3. Subnotatio inclyti Imperatoris D. Iſaacij Angeli, vt tondeantur electorum pontificum vxores, facta die 20. menſis Septembris 4. Indict. 5.*

LEgitimam Imperatoris ſententiam non ſine periculo delinquentes experientur. Vt enim dentibus acerba vna, oculis fumus nocet: ſic iniquitas iis qui ipſa vtuntur. Quorſum verò mihi hoc orationis ſpectat præludium? Cum ſacratiſſimus Cyzici metropolitanus inueniſſet maieſtatẽ meam hodierno die iura reddentem, aſſidentibus ſanctiſſimo domino meo œcumenico patriarcha, & aliis ſanctiſſimis patriarchis, Antiocheno videlicet & Hieroſolymitano, nec abeſſent qui tunc in vrbe regia ſacratiſſimi pontifices erant, quorum nomina inferius continebuntur. Propoſitum eſt quoſdam eorum qui ad metropoles vel archiepiſcopas electi & ordinati ſunt, cùm vxores ante ordinationem haberent: non recuſare quidem quin primarij ſacerdotij chriſmate inungerentur: ſed eorum vxores eundem rurſum mundanum habitum induere, inuerecundè agentes in iis ædibus quas antea habitabant: nec fœmineis introductas eſſe monaſteriis, ſed nec Deo ſeipſas dedicaſſe, & vitam delegiſſe monaſticam. Et hæc, quod ſacri diuinique canones expreſſim moneant electos pontifices, à legitimis ſuis vxoribus, quas ante ordinationem habebant, omni modo abſtinere: vt non ex præcepto, ſed propria voluntate eorum quiſque continentiam vel cœlibatum proprium ſibi deligat, propter dignitatem ſacerdotij, aut propter matrimonij honeſtatem, cõiunctionem caſtam præferat. Hæc dicens, varios canones allegabat, inter quos & quadrageſimus octauus erat ſextæ ſynodi, hæc ad verbum comprehendens: Vxor eius qui ad epiſcopalem dignitatem promotus eſt, communi viri ſui conſenſu priùs ſeparata, poſtquam in epiſcopum ordinatus eſt ac cõſecratus, monaſterium ingrediatur procul ab epiſcopi habitatione extructum, & epiſcopi prouidentia fruatur. Sin autem digna viſa fuerit, etiam ad diaconatus dignitatem prouehetur. Lecto igitur hoc canone, Imperium meum in hominibus agnoſcens maxima dona Dei à ſuperna clementia, & regni ac ſacerdotij diuinitus conceſſam vnctionem & dignitatem ex vno eodémque Perenni fonte manare humanámq. exornare dicã, & amplificare: nihil etiã ſtudioſius colẽs quàm ſacerdotum auctoritatẽ, qui regia & diuina ſpeculatione manus erigẽtes, Deum pro Chriſtiano multitudine deprecãtur, & vt ſacræ quædam ancoræ Imperialem potentiam ſuffulciunt: poſtquã etiam canones contemni & infringi cognouiſſet in bene inſtituta repub. & quidẽ

noſtræ potentiæ, quaſi non ſoluti eſſent creati pontifices, qui ſuis vxoribus cohabitare non verentur: non parum commotum eſt. Triſte etiam quidam nec gratum in piiſſimum chartophylacem mea intuens maieſtas, definiit, cohortantibus ad id ſanctiſſimis patriarchis, vxores creatis pontificibus ante ordinationem coniunctas in muliebria monaſteria procul ſita ab habitatione pontificum ſine dilatione induci, tonderique eas, & canonicè apud monachas degere, in quo monaſterio comam depoſuerint: aut ſi ipſæ tonſuram recuſent, qui eis ante creationem iuncti erant matrimonio pontificali ſolio & dignitate priuentur, & in eorum locum alij ſufficiãtur. In poſterum autem, qui ante creationem legitimam vxorem habebit, non aliter ordinari, quàm ſi communi coniugum ſcripto conſenſu & placito à ſe inuicem ſeparentur, & mulier monaſticam vitam amplexa ſit. Sic enim creatio ſine offendiculo & damno iuxta ſacros & diuinos canones procedet, ſemota ab omni ſacerdotalis ordinis reprehenſione. Aſſidebant ad meæ maieſtatis tribunal pontifices Cæſareæ, Epheſi, Cyzici, & alij nõ pauci.

## IOANNIS DVCAE.

1. *De veſtibus.*

ALterum verò illius Imperatoriæ prouidentiæ ſpecimen: quod cùm videret Romanas diuitias in peregrinas ac ſumptuoſas veſtes, ſericas, Aſſyrias, Babylonias atque Italicas, vario ac ſolerti artificio contectas, effundi: decreto ſanxit ne quis ſubditorũ iis vteretur, niſi ipſe, quiſquis eſſet, cum omni familia in ordinem cogi ac notari ignominia vellet: ſed iis contenti eſſent quas Romanæ prouinciæ ac manus præberent. Neceſſariarum enim rerum vſus eſt immutabilis: & ſubditi quãtum licet principum ſequuntur cupiditates: idque lex eis eſt & honor, quod principibus viſum fuerit. Proinde cernere erat, illa quoque breuiſſimo tempore viluiſſe: nobilitatis autem limites, Romanis veſtimentis definitos: & diuitias domo, quod aiunt, domum ferri.

## MICHAELIS PALÆOLOGI.

1. *De primatu & appellatione & commemoratione Papæ Romæ.*

PRoinde tot difficultatibus circumuentus Imperator, ac penè ad deſperationem compulſus, legatos ad Papam mittit, de ineunda veteris & nouæ Romæ eccleſiarum concordia, modò Caroli expeditionem auerteret. Ea legatio à Pontifice benignè audita eſt: qui ea ſe facilè, quæ Imperator petiuiſſet, confecturum eſt pollicitus: ſtatimque ſuos legatos illis adiungit, qui concordiam conciliarent atque amplecterentur. Cuius hæc tria capita fuerunt. Primùm, vt in ſacrorum voluminum hymnodiis, Papæ cum quatuor aliis patriarchis mentio fieret. Alterum, vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ curia maior & perfectior eſſet, appellare. Tertium, vt illi principatus in omnibus deferretur.

## INCERTI IMPERATORIS.

1. *De epiſcopatibus detentis à laicis.*

EPiſcopatus quidem epiſcopis nullo tẽpore claudentur, quo minus qui electi ſunt, ad ea reuertantur: quemadmodum & in Megarenſi epiſcopatu factum eſt, qui tot annis quot hominum memoriam excedunt, deletus extinctuſque fuerat, & per iuſſionem Imperialem, ſynodalémque actum, metropoli Athenarum paulo ante rurſus ſeruatus eſt.

Conſtitutionum Imperialium
FINIS.

# CANONES SANCTORVM ET VENERANDORVM Apoſtolorum.

## *Per Clementem à Petro apoſtolo Romæ ordinatum epiſcopum, in vnum congeſti:*

Gregorio Haloandro interprete.

EPISCOPVS à duobus aut tribus epiſcopis ordinator.

2 Presybter ab vno epiſcopo ordinator, item diaconus, & reliqui clerici.

3 Si quis epiſcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino ſicerã, aut confecta quædã, aut aues, aut aliqua animalia, aut legumina ſupra altare obtulerit: vt qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor: excepto nouo frumento, & vua opportuno tempore. Præterea licitũ non eſto aliud quippiã admouere ad altare, quàm oleum in candelabrum: & incenſum oblationis tempore.

4 Omnium aliorum pomorum primitiæ epiſcopo & presbyteris domum mittuntur, non ſuper altare. Manifeſtum eſt autem, quod epiſcopus & presbyteri inter diaconos & reliquos clericos eas diuidũt.

5 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vxorem ſuã prætextu religionis non abiicito: ſi abiicit, ſegregator à communione: ſi perſeuerat, deponitor.

6 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ſeculares curas non ſuſcipito: alioqui deponitor.

7 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, ſanctum



nus, aut quicunque ex ſacerdotali conſortio, oblatione facta, non communicauerit: cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minus dixerit, à communione excluditor, tanquam qui populo author offenſionis fuerit, mota contra eum ſuſpicione qui obtulit.

9 Quicunque fideles *eccleſiam* ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud preces & ſanctam communionem permanent, eos tanquam qui ordinis in eccleſia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.

10 Si qui cum excommunicato, licet in domo, preces coniunxerit: iſte communione priuator.

11 Si quis cum depoſito clerico vt cum clerico preces coniunxerit, deponitor & ipſe.

12 Si quis clericus, aut laicus à communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus ad aliam profectus ciuitatem, ſine commendatitiis literis receptus fuerit: à communione excluditor tam qui receperit, quàm qui receptus eſt. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.

13 Epiſcopo, qui parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licèt à pluribus ad hoc compellatur: niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quod plus lucri & vtilitatis his qui illic conſtituti ſunt, verbo pietatis conferre poſſit. neque hoc tamen à ſe ipſo, ſed multorum epiſcoporum iudicio, & exhortatione maxima.

14 Si quis presbyter aut diaconus, aut quicunque tandem de clericorum conſortio, relicta parochia ſua, in aliam conceſſerit, & omnino tranſmigratione facta præter voluntatem ſui epiſcopi in alia parochia moram traxerit: hunc iubemus, ne porro in miniſterio publico ſit eccleſiæ, maximè ſi accerſente ipſum epiſcopo eius redire contemnat. peruerſo illic ordine perſeuerans, vt laicus tamen ibi locorum in communionem admittitor.

15 Quod ſi epiſcopus, ad quem acceſſerint, pro nihilo reputata vacationis à miniſterio eccleſiaſtico pœna, quæ contra eos definita eſt, ipſos vt clericos ſuſceperit: à communione excluditor, vt peruerſi ordinis magiſter.

16 Qui poſt Baptiſmum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit: is epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

17 Qui viduam duxit, aut diuortio ſeparatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis: epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

18 Qui duas ſorores duxit, aut conſobrinam: clericus eſſe non poteſt.

19 Clericus qui fideiuſſores dat, deponitor.

20 Si quis humana violentia eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus eſt: efficitor *epiſcopus.*

21 Qui ſibi ipſi virilia amputauit, clericus non efficitor: ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.

22 Si quis cum clericus eſſet, virilia ſibi ipſi amputauerit: deponitor, homicida etenim ſui ipſius eſt.

23 Laicus, qui ſeipſum mutilauit, per tres annos à communione eiicitor. puta, quia ipſe vitæ ſuæ poſuit inſidias.

24 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus in fornicatione, aut periurio, aut furto deprehenſus, deponitor, non tamen à communione excluditor. Dicit enim ſcriptura, Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni conſimiliter & reliqui clerici ſubduntor.

25 Ex his qui cœlibes in clerum peruenerunt, iubemus, vt lectores tantùm & cantores (ſi velint) nuptias contrahant.

26 Epiſcopum, aut presbyterum, aut diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles iniuriam inferentes percutit, & terrorem ipſis per huiuſmodi vult incutere, deponi præcipimus. nuſquam enim Dominus hoc nos docuit. Imo vero contrà, cùm ipſe percuteretur, non repercutiebat: cùm laceſſeretur conuiciis, non regerebat conuicium: cùm pateretur, non comminabatur.

27 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, ob certa crimina iuſtè depoſitus, attingere miniſterium, quod aliquando tractauerat, auſus fuerit: omnino hic ab eccleſia abſcinditor.

28 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, pecuniæ interuentu hanc dignitatem nactus fuerit: deponitor tam ipſe, quàm qui eum ordinauit, & omnino à communione abſcinditor, quemadmodum Simon Magus à me Petro.

29 Si quis epiſcopus ſecularium magiſtratuum familiaritate vſus, per ipſos eccleſiam nactus fuerit: deponitor: ſegregantur quoque à communione, quicunque cum ipſo communionem habent.

30 Si quis presbyter proprium aſpernans epiſcopum, ſeorſim conuenticula egerit, & altare erexerit cùm de nullo crimine epiſcopum in pietate ac iuſtitia condemnarit: deponitor, quaſi principatum ambiat. tyrannus enim eſt. Conſimiliter & reliqui clerici, qui ſuum illi calculum apponunt. Laici vero à communione ſegregantor. Atque hæc poſt vnam, & item alteram ac tertiam epiſcopi exhortationem fiunto.

31 Si quis presbyter, aut diaconus, per epiſcopum à communione excluſus ſit: hunc neutiquam ab alio fas eſto ſuſcipi, quàm ab eo qui ipſum à communione excluſit: niſi fortè fortuna epiſcopus, qui ipſum à communione ſegregauit, defunctus ſit.

32 Nemo peregrinorum epiſcoporum, aut presbyterorum, aut diaconorum, ſine commendatitiis ſuſcipitor literis: & ſi eas obtulerit, attentiùs in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor: ſin minus, vbi neceſſarias ipſis ſuppeditaueritis, ad communionem & vlteriorem ipſos conſuetudinem non admittitote. multa enim per obreptionem fiunt.

33 Cuiuſque gentis epiſcopos oportet ſcire quinam inter ipſos primus ſit, haberéque ipſum quodammodo pro capite, neque ſine illius voluntate quidquam agere inſolitum. illa autem ſola quemque pro ſe tractare, quæ ad parochiam eius, & loca ipſi ſubdita attinent. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in ſancto Spiritu.

34 Epiſcopus extra terminos ſuos, in ciuitatibus & regionibus ſibi non ſubiectis, ordinationes facere non præſumito. Si vero præter voluntatem eorum qui ciuitates illas aut regiones detinent, id feciſſe conuictus fuerit, deponitor tam ipſe, quàm etiam hi quos ordinauit.

35 Si quis ordinatus epiſcopus miniſterium & curam populi ſibi commiſſam non ſuſceperit: hic à communione ſeiunctus eſto tam diu, donec ſuſceperit (*obedientiam accommodans: ſimiliter autem & presbyter & diaconus.*) Si vero non præ voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit, maneto ipſe quidem epiſcopus: clerus vero eius ciuitatis à communione ſegregator, eo quod tam inobedientem populum non corripuerit.

36 Bis in anno epiſcoporum celebrator ſynodus, & pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocanto, neque non in eccleſiis incidentes

contradictiones dirimunto: ſemel quidem quarta feria Pentecoſtes, ſecundo duodecima Hyperberetæi.

37 Omnium rerum eccleſiaſticarum curam epiſcopus gerito, & eas diſpenſato quaſi inſpectante Deo. Non licitum autem ei eſto quippiam ex iis ſibi tanquam proprium aſſumere aut cognatis ſuis elargiri, quæ Deo dedicata ſunt. Quòd ſi pauperes illi ſint: vt pauperibus ſubminiſtrato, non tamen horum prætextu res eccleſiæ venundato.

38 Presbyteri & diaconi, abſque voluntate epiſcopi nihil peragunto. ipſius enim fidei populus Domini commiſſus eſt, & pro eorum animabus ab ipſo repetetur ratio.

39 Manifeſtæ ſunto priuatæ res epiſcopi, (ſi modò & priuatas habet) manifeſtæ item ſunto Dominicæ: vt priuatas quidem res epiſcopus, cùm moritur, quibus vult, & quomodo vult relinquendi facultatem habeat: neque occaſione eccleſiaſticarum rerum intercidant res epiſcopi, qui nonnunquam vxorem & liberos, aut cognatos, aut ſeruos habet. Iuſtum eſt enim apud Deum pariter & homines, ſimul ne eccleſia per ignorationem rerum epiſcopi damni aliquid ſuſtineat, ſimul ne epiſcopus aut cognati eius prætextu eccleſiæ oblædantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia eiuſque mors implicetur diffamationibus.

40 Præcipimus, vt epiſcopus res eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ fidei eius committendæ ſunt, multò vtique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare, vt illius arbitratu diſpenſentur, neque non cum timore Dei ſummáque ſolicitudine per presbyteros ac diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem & ipſe (ſi modo indiget) quantum ad neceſſarios ſuos, & hoſpitio exceptorum fratrum vſus opus habet, ne quo modo ipſe poſteriore loco habeatur quàm cæteri. Ordinauit enim lex Dei, vt qui altari inſeruiunt, de altari nutriantur: quando nec milites vnquam ſuis ſtipendiis arma hoſtibus inferant.

41 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui vel aleæ; vel ebrietatibus indulget, vel deſinito, vel deponitor.

42 Subdiaconus, aut cantor, aut lector, qui conſimilia facit: vel deſinito, vel à communione ſeiungitor: ſimiliter & laici.

43 Epiſcópus, aut presbyter, aut diaconus, qui vſuras à mutuum accipientibus exigit, vel deſinito, vel deponitor.

44 Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, qui cum hæreticis preces coniunxerit, duntaxat à communione ſuſpenditor. Si verò etiam ipſos tanquam clericos aliquid agere permiſerit, deponitor.

45 Epiſcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptiſma, aut ſacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus. Quæ etenim conuentio inter Chriſtum & Belial? aut quæ particula fideli cum infideli.

46 Epiſcopus, aut presbyter, ſi eum qui verum baptiſma habeat, iterum baptiſauerit, aut pollutum ab impiis non baptiſauerit, deponitor: vt qui crucem & mortem Domini derideat, neque diſcernat veros ſacerdotes à ſacerdotibus impoſtoribus.

47 Si quis laicus, cùm ſuam à ſe vxorem abiicit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam: à communione ſegregator.

48 Si quis epiſcopus, aut presbytor ſecundùm ordinationem Domini non baptiſauerit in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſed in tres principio carentes, aut tres filios aut tres paracletos: deponitor.

49 Si quis epiſcopus, aut presbyter, in vna initiatione non tres immerſiones, ſed vnam duntaxat quæ in mortem Domini detur, peregerit deponitur. Non enim dixit Dominus, In mortem meam baptiſate: ſed, Profecti docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

50 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quiuis omnino de ſacerdotali conſortio, nuptiis, & carnibus, & vino abſtinuerit: non propterea quò mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationem: oblitus, quod omnia pulchra valde, & quod maſculum & fœminam Deus creauit hominem, ſed diffamationibus laceſſens creationem Dei vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, & ex eccleſia reiicitor. Conſimiliter & laicus.

51 Si quis epiſcopus, aut presbyter eum qui à peccato reuertitur, non recipit, ſed reiicit: deponitor, eo quod Chriſtum offendat, qui dixit, ob vnum peccatorem, qui reſipiſcat, gaudium oboriri in cælo.

52 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus carnibus & vino feſtiuis diebus non vtatur, idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor: tanquam qui cauterio notatam habeat conſcientiam, & multis author ſit offendiculi.

53 Si quis clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excluditor: excepto tamen eo, qui neceſſario in itinere in commune diuerterit hoſpitium.

54 Si quis clericus epiſcopum contumelia affecerit, deponitor: principi enim populi tui non maledices.

55 Si quis clericus contumelia affecerit presbyterum, aut diaconum: à communione ſegregator.

56 Si quis mancum, aut mutum ſurdúmve, aut cæcum, aut eum qui vitioſus inceſſus eſt, ſubſannauerit: communione priuator conſimiliter & laicus.

57 Epiſcopus, aut presbyter, qui negligentius circa clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione ſegregator. Si vero in ea ſocordia perſeuerauerit, deponitor.

58 Si quis epiſcopus, aut presbyter, clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditauerit, à communione reiicitor. ſin perſeuerat, deponitor, vt qui fratrem ſuum necauerit.

59 Si quis falſo inſcriptos impiorum libros, tanquam ſacros in eccleſia ad populi & cleri corruptionem publicauerit: deponitor.

60 Si accuſatio contra fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacunq. alia actione prohibita, & conuictus fuerit: in clerum non perducitor.

61 Si quis clericus per metum humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici negauerit, ſiquidem nomen Chriſti *ab eccleſia* reiicitor: ſi vero nomen clerici, deponitor, pœnitentia tamen ductus, vt laicus recipitor.

62 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino quicunque ex ſacerdotali conſortio, comederit carnes in ſanguine animæ eius, aut à beſtiis abreptum, aut ſuffocatum: deponitor. hoc enim lex prohibuit. Sin vero laicus fuerit: à communione excluditor.

63 Si quis clericus, aut laicus, ſynagogam Iudæorum, aut hæreticorum conuenticulum ingreſſus fuerit: vt preces cum illis coniungat: deponitor, & à communione ſecluditor.

64 Si quis clericus in concertatione aliquem pulſauerit, & vno ictu ac pulſatione interemerit, deponitor, propter temeritatem ſuam. Sin vero laicus ſit, arcetor à communione.

65 Si quis Dominicum diem, aut Sabbatum, vno ſolo dempto, ieiunare deprehendatur, deponitor. ſin laicus, è communione eiicitor.





66 Si quis virginem ſibi non deſponſatam, admota vi detinet: à communione ſuſpenditor. Non licitum autem eſto ei aliam ducere, ſed eam detineto, quam ſollicitauit, quamuis paupercula ſit.

67 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit: deponitor tam ipſe, quàm qui ipſum ordinauit: niſi forte conſtet ordinationem eum habere ab hereticis. Qui enim à talibus baptiſati, aut ordinati ſunt: hi neque fideles neque clerici eſſe poſſunt.

68 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor ſacram quadrageſimam Paſchę, aut quartam feriam, aut paraſceuen non ieiunauerit, deponitor: præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione priuator.

69 Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino quicunque ex clericorum conſortio cùm Iudæi ieiunauerit, aut communem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud huius generis, ab eis ſuſceperit, deponitor: ſi laicus, à communione ſegregator.

70 Si quis Chriſtianus oleum ad ſacra gentilium, aut in ſynagogam Iudæorum in feſtis eorum detulerit, aut lucernas incenderit: à communione excluditor.

71 Si quis clericus, aut laicus, ceram aut oleum ex ſancta ſurripiat eccleſia: à communione ſeiungitor.

72 Vas aureum & argenteum ſanctificatum, aut velamen linteúmve, nemo amplius in ſuos vſus aſſumito, iniquum enim eſt. Cæterùm ſi quis deprehenſus fuerit, excommunicatione mulctator.

73 Epiſcopum de aliquo per fide dignos accuſatum homines, ab epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſi quidem comparuerit, & confeſſus conuictúſve fuerit, cenſura irrogator eccleſiaſtica. Si verò vocatus non obtemperauerit. ſecunda quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum epiſcopis. Quòd ſi per contumaciam ne ſic quidem comparauerit: ſynodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, nequid tergiuerſando detractãdóque iudicium lucri facere videatur.

74 Indictionem teſtimonij contra epiſcopum hæreticus non admittitor: ſed neque fidelis, ſi ſolus ſit. In ore enim duorum aut trium teſtium conſiſtet omne dictum.

75 Item non oportet epiſcopum fratri aut filio, aut alteri cognato, humano gratificari affectu, neque enim eccleſiam Dei cõferre debet in hæredes. Enimuerò ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipſe autem excommunicatione percellitor.

76 Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat & dignus ſit, epiſcopus efficitor. non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.

77 Qui verò mutus, ſurdúſve & cæcus eſt, epiſcopus non efficitor: non quia oblæſo corpore eſt, ſed, ne eccleſiaſtica impediantur munia.

78 Si quis dæmonem habeat, clericus non efficitor: ſed neque cum fidelibus preces funditо. Mundatus verò recipitor: & ſi dignus fuerit, efficitor.

79 Qui ex vita gentili aduenerit, & baptizatus eſt, aut ex conuerſatione praua: iuſtum non eſt eum protinus promoueri in epiſcopum. Iniurium enim eſt, eum qui prius non ſpecimen & documentum de ſe præbuerit, aliorum doctorem exiſtere, niſi alicubi dono diuinæ gratiæ hoc fiat.

80 Dicimus, quòd non oporteat epiſcopum, aut presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immittere: ſed vacare & commodum ſe exhibere vſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, iuxta præceptum Dominicum.

81 Serui ſi in clerum promoueantur citra dominorum voluntatem; hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando verò ſeruus quoque gradus ordinatione dignus videatur, qualis & noſter Oneſimus apparuit, & domini conſenſerint, manúque miſerint, & domo ſua ablegarint: efficitor.

82 Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui militiæ vacauerit, & ſimul vtrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quàm functionem ſacerdotalem: deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo.

83 Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit ſupplicium luito: & quidem ſi clericus ſit, deponitor: ſi laicus, à communione remouetor.

84 Sunto omnibus vobis, clericis ſimul & laicis, venerandi ac ſacri libri veteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ieſu filij Nauæ vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regnorum quatuor. Derelictorum ex libro dierum duo, Heſter vnus, de Machabæorum geſtis tres, Iob vnus, Pſalterium vnus: Solomonis tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum: Prophetarum duodecim, vnus Eſaiæ, Hieremiæ vnus, Iezechiel vnus, Daniel vnus. Inquiritor autem à vobis extrinſecus, vt adoleſcentes veſtri addiſcant item Sapientiam eruditi Syrach. Noſtra verò, hoc eſt noui Teſtamenti, Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Pauli epiſtolæ quatuordecim, Petri epiſtolæ duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ vobis epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt, quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana quæ in ſe continent: Et actiones noſtras apoſtolorum.

F I N I S.

# INCIPIVNT CONSVETVDINES FEVDORVM.

## ET PRIMO.

DE HIS QVI FEVDVM DARE POSſunt, & (qui non) & qualiter acquiratur; & retineatur,

### TITVLVS I.

QVia de feudis tractaturi ſumus: videamus primùm qui feudum dare poſſunt. ¶ Feudum autem dare poſſunt archiepiſcopus, epiſcopus, abbas, abbatiſſa, præpoſitus, ſi antiquitus conſuetudo eorum fuerit feudum dare, Dux, Marchio, & Comes ſimiliter feudum dare poſſunt: qui proprie regni, vel regis capitanei dicuntur. Sunt & alij, qui ab iſtis feuda accipiunt: qui propriè regis, vel regni valuaſores dicuntur, ſed hodie capitanei appellantur: qui & ipſi feuda darē poſſunt. Ipſi verò, qui ab eis accipiunt feudum, minores valuaſores dicuntur.

*De origine & progeſſu feudorum.*

1 ¶ Et quia vidimus de perſonis, videamus, qualia prius habuerunt initia. Antiquiſſimo enim tempore ſic erat in dominorum poteſtate connexū, vt quando vellent, poſſent auferre rem in feudum à ſe datum. poſtea verò eò ventum eſt, vt per annum tantum firmitatem haberent: deinde ſtatutum eſt, vt vſque ad vitam fidelis produceretur. ſed cum hoc iure ſucceſſionis ad filios nonpertineret: ſic progreſſum eſt, vt ad filios deueniret, in quē ſcilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare quod hodie ita ſtabilitum eſt, vt ad omnes æqualiter veniat.

2 ¶ Cùm verò Conradus Romam proficiſceretur: petitum eſt à fidelibus qui in eius erant ſeruitio, vt lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & vt frater fratri ſine legitimo herede defuncto, (vel filius) in beneficio, quòd eorum patris fuit, ſuccedat. Sin autem vnus ex fratribus à domino feudum acceperit: eo defuncto ſine legitimo herede, frater eius in feudum non ſuccedit. quod etſi communiter acceperint, vnus alteri non ſuccedit: niſi hoc nominatim dictum ſit, ſ. ut, vno defuncto ſine legitimo herede alter ſuccedat. herede verò relicto, alter frater remouebitur.

3 ¶ Hoc autem notandum eſt, quòd licèt filiæ, vt maſculi, patribus ſuccedant, legibus tamen à ſucceſſione feudi remouentur: ſimiliter & earum filij, niſi ſpecialiter dictum fuerit, vt ad eas pertineat.

4 ¶ Hoc quoque ſciendum eſt, quòd beneficiū ad venientes ex latere vltra fratres patrueles nō progreditur ſucceſſione, ſecundùm vſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum: licèt moderno tempore vſque ad ſeptimum geniculum ſit vſurpatum. quod in maſculis deſcendentibus, nouo iure, vſque in infinitum extenditur.

5 ¶ Notandum eſt autem, quòd illud beneficiū, quod à regis capitaneis, atque regis, (vel regni) valuaſoribus aliis impenditur, proprie iure feudi cenſetur. Illud verò, quod à minoribus in alios transfertur non iure feudi iudicatur, (licèt aliter in curia Mediolanenſi obſeruetur) ſed, quando voluerint, rectè auferre queunt: niſi Romam cum illis in exercitu perrexerint, quo caſu in ius feudi tranſit, (& adiudicatur:) vel niſi aliquid propter feudum acceperint, tunc enim, niſi reſtituto pretio, auferre non poſſunt.

(DE FEVDO GVARDIÆ, ET gaſtaldiæ.)

### TIT. II.

ITem illud, quod datur nomine gaſtaldiæ, vel guardiæ, & pro mercede alicuius rei tranſacto anno, poteſt iure auferri, etiam pretio pro eo dato non reſtituto: niſi ad certum tempus datum fuerit. 1 ¶ Si verò gaſtaldi aliquid nomine proprij feudi poſſederint, non valebunt propterea poſſeſſionem ſibi defendere, niſi per pares curtis, vel breue teſtatum potuerint probare, ſe, antequàm gaſtaldi eſſent, vel poſtquam deſierunt eſſe, inueſtituram accepiſſe.

(QVI SVCCESSORES FEVDVM dare teneantur.)

### TIT. III.

SI verò archiepiſcopus, epiſcopus, vel abbas, vel abbatiſſa inueſtituram eius feudi quod alius detinebat, eo tenore alicui dederit, vt poſt deceſſum eius, qui poſſidet, habeat: & antè deceſſerit archiepiſcopus quàm ille, qui feudum poſſidebat: ſucceſſores eorum non coguntur eam inueſtituram facere, vel confirmare, etiam ſi pares eius curtis adſint teſtes, vel breue teſtatum inde ſit: niſi ille, qui inueſtituram acceperit, nomine eius in poſſeſſionem miſſus feudi ſit eo conſentiente, qui detinet. Sed ſi ille, qui feudum poſſidet, prius deceſſerit, quàm ille, qui inueſtituram fecit: iure cogitur eam ratam habere, Laici verò iiſdem modis omnibus quibus ſuprà diximus, ſi aliis inueſtituram dederint: heredes eorum, ſi rationibus claruerint, omnimodo eam adimplere compelluntur.

(SI DE INVESTITVRA FEVDI controuerſia fuerit.)

### TIT. IIII.

SI autem controuerſia inter dominum, & fidelem de feudi inueſtitura fuerit: quo iuris ſit, videamus Et ſi inueſtitura facta fuerit coram paribus curtis, aut in breui teſtato: rectè eum, qui inueſtitus eſt, cogitur dominus mittere in feudi poſſeſſionem. Si verò fuerit in poſſeſſione, & mota fuerit ei controuerſia à domino: ei defenſio detur propter poſſeſſionē. Si autē non fuerit in poſſeſſione, nec ſupradictis modis poterit probare: tunc illius erit defenſio, qui inueſtiturā dicitur feciſſe. 1 ¶ Si verò feudum aliquis habuerit, de quo nulla controuerſia eſt, & dixerit ſe inueſtituram alicuius feudi accepiſſe ab eodem domino, nec in poſſeſſione fuerit, nec prædictis rationibus probare poterit: licet domini eſſet defenſio ex ordine: tamē quia aliunde vaſallus eſt, remittitur domino ex æquitate defenſio. 2 ¶ Cùm autem quis dixerit feudum ad ſe per ſucceſſionē pertinere, aſſerendo illud eſſe paternum ſi fuerit in poſſeſſione medietatis, vel alicuius partis, vel cambiū proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel aliis iuſtis rationibus illud eſſe paternum probare potuerit, iure obtinebit: ſi verò probare non potuerit prædicto modo, dabitur ei defenſio cum duodecim ſacramentalibus.

3 ¶ Item ſi vaſallus poſſederit caſtrum, quòd dixerit, ſe pro feudo tenere, & ecōtra dominus per guardiam dixerit ſe ei dediſſe: domini eſt probatio: &, ſi poterit probare, tunc ille, qui tenet, domino debet



reſtituere, vel probare per pares curtis, vel per breue teſtatum poſt quam in guardiam ſuceſſiſſet. ſe à domino pro feudo inueſtituram accepiſſe. Domino verò in probatione deficiente, tunc illius erit defenſio, qui poſſidet.

4 ¶ Similiter ſi aliquis poſſederit caſtrum, vel aliam rem, & dominus dixerit ſe pro pignore ei dediſſe: è contrario ille dixerit ſe accepiſſe pro feudo: ſi potuerit dominus probare, quòd ei pro pignore dediſſet: tunc ille qui tenet, domino reſtituet, vel probet ſupradicto modo, ſe, poſtquam à domino pro pignore accepit, feudi nomine accepiſſe. ſi & dominus non poterit probare, ſe nomine pignoris dediſſe, erit defenſio illius qui poſſidet.

5 ¶ Si quis de manſo vno, feudi nomine inueſtituram acceperit: & dixerit, quòd omne incrementum pertineat ad eum per inueſtituram, ſi dominus reſeruauerit ſibi aliquid in ipſa curte tunc oportebit fidelem incrementi inueſtituram per pares curtis, vel per breue teſtatum probare. Sed ſi dominus in ipſa curte nihil ſibi retinuit: tunc omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit. Si verò fidelis in poſſeſſione incrementi fuerit, non oportebit eum inueſtituram probare, ſed iurare.

6 ¶ Rurſus ſi aliquis acceperit inueſtituram feudi cum omni incremento, quod ei obueniret, & aliquid accreuerit viuente eo à quo acceperit, ipſius erit, &, ſi ille, qui inueſtituram fecit, ſine herede deceſſerit, & feudum reuerſum fuerit ad eum, à quo ipſe tenuerit, vel ad alium: quicquid poſt mortem eius qui dedit, accreuerit, ad eum pertinebit, ad quem regreſſum fuerit.

QVIBVS MODIS FEVDVM amittatur.

### TIT. V.

QVia ſupra dictum eſt quibus modis feudum acquiritur, & retinetur: nūc videamus qualiter amittatur. Si enim dominus prælium campeſtre habuerit, & vaſallus eum morantem in ipſo prælio dimiſerit non mortuum, nec ad mortem vulneratum: feudum amittere debet. Item ſi fidelis cucurbitauerit dominum, id eſt, cum vxore eius concubuerit, vel concumbere ſe exercuerit, aut cum ea turpiter luſerit, vel ſi cum filia, aut (cum nepte ex filio, aut cum nupta filio) aut cū ſorore domini concubuerit, (hæc ita obtinent, ſi in domo domini maneat) iure feudum amittere cenſetur. Similiter ſi dominum aſſalierit, vel caſtrum domini, ſciens dominum vel dominam ibi eſſe. Item ſi fratrem ſuum occiderit, vel nepotem, id eſt, filium fratris. Aut ſi libellario nomine amplius medietate in feudū dederit: aut pro pignore plus medietate obligauerit, ita vt trā actum permittat: vel dolo hoc egerit: amiſſione feudi multabitur. His omnibus caſibus feudum ad dominum reuertitur. Rurſus ſi fidelis minus medietate libellario nomine (feudum) dederit, & ſine herede deceſſerit, & feudum ad dominum redierit, vel poſtquam ad libellum dederit, vel pignori obligauerit: & domino refutauerit: tunc ille qui ab eo acceperit, nullo iure aduerſus dominum ſe tueri poterit.

1 ¶ Præterea ſi ille ad quem feudum per ſucceſſionem iure obuenire debet, conſenſerit eos, inueſtire, ad quos ſecundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regreſſum habet. Item ſi fuerint duo fratres, & vnus inueſtituram feudi acceperit: ſi poſtea feudum cum fratre diuiſerit, & ille qui feudi partem accepit, poſtea plus medietate vendiderit, & ſine herede legitimo deceſſerit, feudum ad dominum reuertitur. Item ſi quis feudum habuerit in curte domini ſui: non poterit ipſum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui ſine conſenſu domini ſui dare, vel pignori obligare. Similiter ſi extra curtem detinuerit, & domini diſtrictum habuerit, vel alium honorem: ſi alienauerit ſine voluntate, iure ad dominum reuertitur.

(EPISCOPVM, VEL ABBATEM, vel abbatiſſam, vel dominum plebis feudum dare non poſſe.)

### TIT. VI.

ITem ſi epiſcopus, vel abbas, vel abbatiſſa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus eccleſiarū, quæ eis ſubiectæ ſunt, & tituli vocantur: nullum habet vigorem: ſecundum hoc quòd conſtitutum eſt à Papa Vrbano in ſancta ſynodo, hoc eſt, illud quod poſt eius decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Idem iuris eſt, ſi (ſit) præpoſitus, (vel abbatiſſa,) vel alia eccleſiaſtica perſona, quæ antiquitus non ſit ſolita in feudum dare: ſcilicet vt quod dederit, de iure non valeat. 1 ¶ Quinetiam ſi quis eo tenore feudum acceperit, vt eius deſcendentes maſculi & fœminæ illud habere poſſint: relicto maſculo, vlterius fœminæ non admittuntur. 2 Mutus feudum retinere non poteſt, ſcilicet qui nullo modo loquitur: ſed ſi feudum fuerit magnum, quo ei ablato ſe exhibere non valeat: tantum ei relinqui debet, vnde ſe ſuſtinere poſſit. Et his omnibus caſibus feudum amittitur, & ad dominum reuertitur.

DE NATVRA FEVDI.

### TIT. VII.

NAtura feudi hæc eſt, vt ſi princeps inueſtierit capitaneos ſuos de aliquo feudō, non poteſt eos deueſtire ſine culpa, id eſt, marchiones & comites, & ipſos, qui propriè hodie appellantur capitanei. Idem eſt ſi inueſtitura ſit facta à capitaneis, & maioribus valuaſoribus, qui propriè hodie capitanei appellantur. Si verò facta fuerit à minoribus vel minimis valuaſoribus, aliud eſt. Tunc enim poſſunt deueſtiri non habita ratione culpæ: niſi fecerint hoſtem Romæ. tunc enim idem eſt in minimis, quod in maioribus valuaſoribus: vel niſi emerint feudum. tunc enim pretium reſtituendum eſt ſecundum antiquum & rationabilem vſum. Moderni autem non ita ſubtiliter cernentes, dicunt idem obſeruandum in minimis, quod dictum eſt in maioribus valuaſoribus,

DE SVCCESSIONE FEVDI.

### TIT. VIII.

SEquitur de ſucceſſione feudi videre. Si quis igitur deceſſerit filiis & filiabus ſuperſtitibus: ſuccedunt tantum filij æqualiter, vel nepotes ex filio, loco ſui patris: nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.

1 ¶ Hoc quoque obſeruatur, vt ſi frater meus alienauerit partem ſuam feudi, vel fecerit inueſtiri filiam ſuam: ſi moriatur ſine herede maſculo, nihilominus reuertitur ad me, & olim obſeruabatur vſq. ad quartum gradum tantum ſecundum quoſquam hoc ideo, quia poſtea non vocatur feudum paternum. Alij autem dicunt vſque ad ſeptimum gradum.

¶ Filia verò non ſuccedit in feudo, niſi inueſtitura fuerit facta in patre, vt filij & filiæ ſuccedant in feudum (tunc enim ſuccedit filia filiis non extantibus) vel niſi inueſtitæ fuerint. Hæc de feudo paterno. In alio verò feudo, quod habuit initium tantum à fratribus, non ſuccedit vnus alteri, ſiue vna inueſtitura, ſiue duabus, niſi hoc fuerit dictum expreſſim, vt alter alteri ſuccedat.

## QVI SVCCESSORES teneantur.

### TIT. IX.

SI quis inueſtitus fuerit de alieno feudo poſt mortem eius, vel ſi quis fuerit inueſtitus ſub conditione aliqua, vel tempore quo nullus erat inueſtitus: ſiue præmoriatur tenens feudum, ſiue inueſtitor, ſiue inueſtitus: inueſtitor & inueſtitoris heredes teneatur inueſtito vel heredi eius veniente tempore vel conditione: licet alij dicant, ſi moriatur inueſtitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem exiſtentem, vel ante tempus quod heredes eius non debeant inueſtiri. nam ſi quis fuerit inueſtitus purè de alieno feudo, non valet habita inueſtitura. hoc ita eſt, niſi fuerit facta ab aliqua eccleſiaſtica perſona, tunc enim ſi præmoriatur inueſtitor antequam feudum tenens, vel conditio, vel tempus exiſtat: non obligatur ſucceſſor illius. hoc probatur per legem Lotharij de ſprecariis, & hoc intelligendum eſt in vaſallis, qui feudi ſucceſſionem non habent.

## DE CONTENTIONE INTER dominum & fidelem de inueſtitura feudi.

### TIT. X.

SI contentio fuerit inter dominum & fidelem de inueſtitura feudi per pares curiæ dirimatur. Alij enim teſtes etſi idonei ſint admittendi non ſunt, inopia tamen probationum dirimatur per religionem clientuli poſſeſſoris feudi, vel cum duodecim ſacramentalibus ſecundum quoſdam. Cæterum ſi dominus poſſideat, etiam per ſuum iuſiuranddum cum duodecim ſacramentalibus dirimatur: hoc ita, niſi clientulus ſit gaſtaldus vel actor domini. tunc enim tantum ſuæ, id eſt domini religioni ſtatur: niſi habeat teſtes pares idoneos. nam aliquando malignando multa bona auferuntur domino hoc modo. & hoc colligitur per legem quæ eſt in titulo de acquiſitione actorum regis in Lombarda. Idem dicendum eſt de guardia.

## (DE PIGNORI DATO FEVDO quid iuris ſit.

### TIT. XI.)

SImiliter ſi quis voluerit dicere ne pignore ſibi dato ſe inueſtitum eſſe, non credatur ſuo iuramento, ſed teſtibus idoneis paribus domus vel curię Inſuper ſciendum eſt feudum guardiæ & gaſtaldiæ quacumque hora vult, auferri poſſe à domino, ſcilicet poſt annum.

## DE CONTENTIONE (INTER ME & dominum de portione) feudi fratris (mei) defuncti.

### TIT. XII.

SI contentio fuerit inter me & dominum de portione feudi fratris mei defuncti dicendo paternũ eſſe, & ſic me debere ſuccedere, ille verò minimè, tanquam habuerim partem meam: ſiue poſſideo, ſiue alienaui, dabitur mihi iuſiurandum, ſcilicet patrem meum iure inueſtitum fuiſſe: licet non poſſideam portionem fratris mei. Si vero nullam partem habuero illius feudi, nec mihi nec domino dabitur iuſiurandum, niſi propter ſupradictam rationem domino, non, vt ego propter hoc aliud meũ feudum amittam. Si tamen vaſallus poterit probare paternum fuiſſe, ſiue poſſideat ſiue non, obtinebit: alioqui niſi probet paternum fuiſſe, vel poſſideat, dominus obtinebit.

## DE ALIENATIONE feudi.

### TIT. XIII.

SI clientulus voluerit partem ſuam feudi alienare, id eſt, medium, ſine domini voluntate poterit hoc facere: vlterius progredi non poteſt ſecundũ iuſtum & verum vſum: alioquin & feudum amittit, & non valebit quod factum eſt. Quod dictum eſt alienare, intelligas de libello. (Huic conſuetudini derogatum eſt per legem Lotharij.) Mediolanenſes vero irrationabiliter conſiderantes dicunt clientulũ etiam alienare poſſe in totum, & ſine domini voluntate. Inde poteſt præſumi, ſi clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo ſuo alicui eccleſiæ, non valet: ideo ſcilicet, quia nunquam reuerſurum ſit ad dominum, cum eccleſia non deſinat eſſe heres: quod obſeruandum eſt (&) in priuato ex natura perpetui libelli. Sed diuerſum obſeruatur in eccleſia quam in priuato. Eccleſia enim cultrix & auctrix iuſtitiæ non patitur contra iuſtitiam aliquid fieri in ſe, vel in alterum: priuatus verò ſæpe obuiat iuſtitię. Etſi clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi ſine domini voluntate: eo mortuo ſine legitimo herede maſculo (quod verbum ita intelligendum eſt in feudo, id eſt, ſine filio maſculo) reuertitur feudum ad dominum. Si vero cum domini voluntate totum vel medium alienauerit, ſtabilis permaneat alienatio, fratri vero vel nepoti per libellum facta alienatio, etiam ſine voluntate domini. (Item in feudo comitatus, vel marchiæ, vel aliarum dignitatum non eſt ſucceſſio ſecundum rationabilem vſum: ſed hodie hoc eſt vſurpatum.)

## DE FEVDO MARCHIÆ, VEL DVcatus vel comitatus.

### TIT. XIIII.

DE marchia, vel ducatu, vel comitatu, vel aliqua regali dignitate ſi quis inueſtitus fuerit per beneficium ab Imperatore: ille tantum debet habere, heres enim non ſuccedit vllo modo, niſi ab Imp. per inueſtituram acquiſierit.

SI capitanei, vel valuaſores maiores, vel minores inueſtiti fuerint de beneficio: filij vel nepotes ex parte filiorum ſuccedunt. Si vero vnus ex his filiis vel nepotibus ſine deſcendentibus maſculini ſexus heredibus mortuus fuerit, prædicti fratres vel nepotes per inueſtituram patris & aui in beneficium ſuccedunt. Et ſimiliter intelligendum eſt in conſobrinis.

SI duo fratres ſimul inueſtiti fuerint de beneficio nouo, & non de paterno: ſi vnus eorum ſine deſcendentibus maſculini ſexus mortuus fuerit, dominus ſuccedit, non frater: niſi pactum fuerit inueſtitura, quod frater fratri ſuccedat. Per pactum enim frater ſuccedit, non dominus. Et quod diximus de fratribus, vt vnus alij ſuccedat per pactum: idem dicendum eſt de filiabus, ſi hoc pactum conciliet: & ſic per pactum filiæ ſuccedunt.

## AN MARITVS SVCCEDAT VXOri in beneficio.

### TIT. XV.

SI fœmina habens beneficium (& maritum,) moriatur nullo modo ſuccedit in beneficium maritus, niſi ſpecialiter inueſtitutus fuerit. Et ſi ipſa fœmina filios dimiſerit, dicunt quidam, filios non debere ſuccedere in beneficium matris, niſi ſpecialiter ſit dictum, vel inueſtiti fuerint: quia ſecundùm vſum regni ad beneficium vocantur paternum, & non maternum. Sed ſecundùm æquitatem dicamus filios debere ſuccedere. Hoc dicimus de capitaneis, & de maioribus valuaſoribus, & de minoribus: de minimis autẽ, & de iis qui beneficiũ tenẽt à maioribus valuaſoribus, ſic ſeruetur ſicut inferius dicemus.

## DE FEVDIS * DATIS MINIMIS valuaſoribus quid iuris ſit.

### TIT. XVI.

Si minores



SI minores valuaſores beneficium tollere voluerint mimimis valuaſoribus, licet eis facere: excepto ſi beneficium vendiderint eis. Si vero precium de beneficio acceperint, tunc aut precium reddant, aut beneficium dimittant.

## QVIBVS MODIS FEVDVM amittatur.

### TIT. XVII.

SI capitanei, vel maiores valuaſores, qui hodie vocantur capitanei (licèt impropriè dicantur minores) ſeniores in bello dimiſerint, vel ſi credentiam ad eorum damnum ſcienter manifeſtauerint, ſi valuaſores ſeniorum vxores adulterauerint, ſi ſcienter ſeniores aſſalierint, vel ſimiles culpas commiſerint: beneficio carere debent.

## APVD QVEM VEL QVOS CONtrouerſia feudi definiatur.

### TIT. XVIII.

SI contentio fuerit de beneficio inter capitaneos, coràm Imperatore definiri debet. Si vero fuerit contentio inter minores valuaſores & maiores de beneficio: in iudicio parium definiatur, vel per iudicem curtis.

SI aliquis de capitaneis, vel de maioribus valuaſoribus, vel de minoribus ſuum beneficium, ſiue totum, ſiue partẽ alienauerit: & ipſe vel heres eius ſine herede deceſſerit: quia beneficium ſenioribus aperitur, totum quod fecit, reuocari debet.

## CONSTITVTIONES FEVDALES domini Lotharij Imperatoris, quas ante ianuam beati Petri, in ciuitate Romana condidit obſeruandas.

### TIT. XIX.

SI quis ex militum ordine deceſſerit, qui de feudo inueſtitus fuerit, vt conſtitutum habemus, obſeruetur de beneficio & ſucceſsione, & culpis. Si vnus inculpatus fuerit de his nominatis culpis, vt habemus inſertum, obſeruetur per conſtitutionem domini Lotharij Imperatoris, quæ eſt conſtituta tempore Eugenij Papæ ante ianuam beatiſsimi Petri Apoſtoli in ciuitate Romana per laudamentum ſapientum Papiæ atque Mediolani, Mantuæ, Veronæ, quæ Brenus (aliàs Hybernus) vocatur, & Parmæ, Lucæ, & Piſæ, & Syponti, & marchionum atque ducum vel capitaneorum, atque valuaſorum maiorum.

(Imperator Lotharius Eugenio papæ, & vniuerſo populo.)

SI quis miles mortuus fuerit ſine filio maſculo & nepotem reliquerit: in beneficium aui in patris vicem ſuccedit. Et ſi heredem & fratrem reliquerit, in beneficium patris ipſe ſuccedit. Et ſi filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium aui defuncti ſuccedat.

## DE BENEFICIO FRATRIS, ET qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat.

### TIT. XX.

SI quis acquiſierit beneficium, & ſine filio maſculo mortuus fuerit, & fratrem reliquerit: frater non ſuccedat fratri, ſed dominus (habeat) niſi per inueſtituram à domino ordinatum fuerit, vt frater ſuccedat fratri, ſi mortuus fuerit ſine herede maſculo: vel ſuccedat frater fratri morienti ſine filio: vel niſi beneficium de communibus bonis ſuis fuerit emptum: (vel) vtriuſquè nomine domino ſciente: ſi inſimul ſteterint: vel in hoſtem regis acquiſierint.

## DE FEVDO SINE CVLPA NON amittendo.

### TIT. XXI.

SAncimus, vt nemo miles ſine cognita culpa beneficium ſuum amittat, ſi ex culpis iis vel cauſis conuictus non fuerit, quas milites vſi ſunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis ſuis, vel per laudamentum parium ſuorum: vel ſi dominis ſuis deſeruire noluerint, tunc conditio cauſa data proponitur ad repetendum feudum, ex quo non ſeruit domino. Nam ſi ſteterit viginti annis & vltra quod non ſeruierit domino: niſi neceſſe fuerit domino, feudum non amittit.

SI quis miles beneficium ſuum vendiderit totum ſine (volũtate vel) iuſſu domini ſui: vt proprium beneficium amittat, decernimus, dominus vero habeat: vel ſi concubuerit cum vxore domini ſui domino viuente: vel ſi in pugna ſuum dominum dimiſerit: & cum eo non laborauerit, ſi potuerit.

## (QVO TEMPORE MILES INueſtituram petere debeat.

### TIT. XXII.

SAncimus, vt nemo miles vltra annum & menſem vadat vt inueſtituram beneficij ſui à filio vel ſucceſſore domini ſui petat, vel poſt mortem (domini ſui, vel) patris ſui, vel alterius cui ſuccedere debet: niſi iuſta cauſa interuenerit, quare non petierit: veluti mortis, vel capitales inimicitiæ, vel infantia, vel iuſta abſentia: & (ſi vt ſuprà dictum eſt) non petierit, damnetur.

SI quis fecerit inueſtituram vel cambium, de beneficio ſui militis, ſine illius conſenſu, cuius eſt beneficium: pro non facto habeatur.

SAncimus vt nemo miles adimatur de poſſeſsione ſui beneficij, niſi conuicta culpa: quæ ſit laudanda per iudicium parium ſuorum, ſicut ſuprà diximus. Si autem dixerit miles, quod ſui pares iniquè iudicaſſent: milès in poſſeſsione maneat per ſex hebdomadas: & ad noſtram veniat præſentiam cum illis qui laudamentum atque iudicium fecerint: & ante nos definiemus.

## DE CONTENTIONE INTER dominum & vaſallum de inueſtitura feudi.

### TIT. XXIII.

SI quis miles in poſſeſsione ſui beneficij fuerit, & dominus inueſtituram negauerit: miles affirmet per iuſiurandum, ſi potuerit: quod ſuum ſit beneficium per inueſtituram domini ſui, & ſi dominus poſſederit, & miles ſic dixerit quod inueſtitus fuerit à domino ſuo, & dominus negauerit: adhibeantur pares illius, & per ipſos inueniatur veritas: & ſi pares non fuerint, veritas inueniatur per dominum: quia nõ eſt bonum vt veritas denegetur.

## QVEMADMODVM FEVDVM ad filiam pertineat.

### TIT. XXIV.

SI quis ſine filio maſculo mortuus fuerit, & reliquerit filiam: filia non habeat beneficium patris, niſi à domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit propter ſeruitium & amorem patris, non reuocetur ab vllo ex parentibus ſuis, neque damnetur.

### QVIBVS MODIS FEVDVM CONſtitui poteſt.

TIT. XXV.

SCiendum eſt, feudum ſine inueſtitura nullo modo conſtitui poſſe, etiam ſi Domino iubente quis alicuius rei nomine feudi poſſeſsionem nanciſcatur, & teneat: licèt tamen poſſeſsionem taliter adeptam, dum vixerit, quaſi feudi nomine retinere: herede eius in hoc iure nullo modo ei ſuccedente.

SI dominus, qui inueſtiuit, fortè ſit clericus, & contigerit vt ante moriatur, quàm vaſallus poſſeſsionem feudi nanciſceretur: exinanitur feudum. quod generaliter in omnibus clericis, qui feudum dant, obſeruatur.

### SI DE INVESTITVRA INTER dominum & vaſallum lis oriatur.

TIT. XXVI.

SI inter dominum & vaſallum lis oriatur de inueſtitura feudi, domino ſcilicet inueſtituram ſe feciſſe negante: ſi teſtibus res probari non poterit, poſſeſſoris ſacramento res decidatur. Idem & in eorum ſucceſſoribus obſeruatur. Si vero teſtes interfuerint, & eos vaſallus ad teſtimonium vocauerit: eorum teſtimonio cum ſacramento credatur. Teſtes vero ſint pares eius, & qui ab eodem domino feudum teneant: qui ſi tempore inueſtitionis abfuerint, etiam extranei ſunt recipiendi, qui etiamſi veritatem celare voluerint, fortè amore, vel precio, vel alia qualibet ex cauſa, à comite, vel à populo iurare compellantur, quod ex ea cauſa falſitatem non dicant, nec vera ſcientes tacebunt. His enim non cogentibus eos, vaſallus cum ipſo domino ad Imperatorem ire feſtinet, eique cauſam intimet: & quod Imperator inter eos iudicauerit, obſeruetur. Si autem ſe venturum, vel nunciũ miſſurum vaſallus promittat: ex quo promiſerit, vſque ad annum quiete poſsideat. Si vero ad regem non venerit, vel non miſerit intra annum, domini ſacramento cauſa finiatur. Etſi teſtes ſacramento iam dicto præſtito ſe non interfuiſſe dixerint, domini ſacramento quæſtio terminetur. Hæc omnia etiam in clericorum perſonis locum habent, præterquam quod de perſonis teſtium dictum eſt. In clericorum feudo pariter accipiuntur pares, & extranei: hoc ideo, quia cùm clerici quoſdam de feudo inueſtiunt, ſæpè abſconsè & ſine præſentia ſuorum confratrum hoc facere ſtudent.

1 ¶ Si quis ſe vel patrem ſuum ab aliquo defuncto, vel patre eius de feudo inueſtitum eſſe contenderit: niſi per duos pares de domo ipſius domini probauerit quod intendit, vel etiam cùm pares abſunt, per alios idoneos duos teſtes: tunc in electione domini eſt, vtrum velit iurare cum duodecim ſacramentalibus, illum qui feudum quærit: per ſe, vel patrem eius, ſi de hoc quæratur, de ipſo feudo inueſtitum non fuiſſe. Quod ſi iurare noluerit, actor iuret cum duodecim ſacramentalibus, ſe, vel patrem ſuum inueſtitum fuiſſe. Quod ſi iurare noluerit: qui conuenitur, eſt abſoluendus. Secundùm enim morem Mediolanenſium hæc ſacramẽta præſtanda ſunt tam à filiis actoris vel rei quàm ab ipſis principalibus perſonis. Si autem aliquis in poſſeſsione feudi ſit, de quo dominus dicit eum inueſtitum non fuiſſe: tunc ſine probatione vlla teſtium debet ſolus iurare ſe vel patrẽ ſuum fuiſſe inueſtitum. Hæc autem ſunt ita tenenda ſi per vnum annum ſciente domino, & non contradicente in poſſeſsione feudi permanſit. Alioqui iuſta ignorantia, vel parui temporis negligentia cum iniquæ poſſeſsionis periurio quandoque domino in poſſeſsione damnum afferat.

### DE FEVDO DATO INVICEM legis commiſſoriæ reprobando.

TIT. XXVII.

SI quis obligauerit aliquam rem pignori eo pacto, vt ſi ſtatuto tempore pecunia ſoluta non fuiſſet, res eſſet creditoris, & eam pro feudo habeat, poteſt debitor quandocumque pecuniam ſoluendo pacto non obſtante pignus recuperare. Feudum enim non ſub prætextu pecuniæ, ſed amore & honore domini acquirendum eſt.

SI quis inueſtierit aliquem de feudo ſui militis, viri Placentini prorſus aſſerunt hanc inueſtituram non aliter valere, niſi eo conſentiente cuius erat feudum. Mediolanenſes & Cremonenſes nihil diſtare aſſeuerant, vtrum eo ſciente vel ignorante, dummodo eo viuente nullum detrimentum de feudo ſuo ſibi contingat. Hoc autem dicendum eſt de eo milite qui feudi ſucceſſores non habet.

### DE VSV MEDIOLANENSIVM ſecundum quoſdam.

TIT. XXVIII.

QVidam obligauerat terram quandam ſuo militi: deinde cùm filius ſui domini longum poſt tempus pecuniam offerendo pignus liberare voluiſſet: filius militis contendebat patrem ſuum à domino ſuo defuncto de prædicto pignore inueſtitionem feudi accepiſſe. Vnde viri prudentes Mediolanenſes interrogati laudauerunt, in electione filij militis eſſe, cum xij. ſacramentalibus iurare, patrem ſuum, vel ſe à domino ſuo per inueſtituram prædictam terram tenuiſſe: ita vt per xxx. annos conteſtatio pignoris à parte domini aduerſus ipſum vel patrem ſuum facta non fuiſſet. Si autem ipſe iurare noluerit: filius defuncti domini neceſſe habet iurare cum duodecim ſacramentalibus, defunctum militem inde per feudum, inueſtitum non fuiſſe. Quod ſi ita iurare recuſet, inueſtire ipſum filium militis domini filius de iam dicta terra per feudum debet.

## OBERTI DE ORTO DE FEVDIS.

## LIBER SECVNDVS.

### DE FEVDI COGNITIONE.

TITVLVS I.

OBertus de Orto, Anſelmo filio ſuo dilecto ſalutem. Cauſarum quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur iure Romano: aliæ vero legibus Longobardorum: aliæ autem ſecundùm regni conſuetudinem, quæ quanquam ſint variæ, & quanquam ſecundùm diuerſorum locorum aut curiarum mores ſint diuerſæ, nec breuiter poſsint dici, nec hoc libello facilè comprehendi: vſum tamen feudi, qui in noſtris partibus obtinet, prout poſsibile eſt, exponere tibi neceſſarium duxi: In judicio etenim, quod de feudis agitur, illud legibus noſtris contrarium dici ſolet. Legum autem Romanarum non eſt vilis authoritas: ſed non adeò vim ſuam extẽdunt, vt vſum vincant: aut mores. Strenuus autem legiſperitus, ſicubi caſus emerſerit qui conſuetudine feudi non ſit comprehenſus, abſque calumnia vti poterit lege ſcripta.

SCiendum eſt autem feudum ſiue beneficium nonniſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis quæ inter immobilia connumerantur (veluti cùm de camera, aut de cauena feudum datur) poſſe conſiſtere: ac feudum neminem poſſe acquirere, niſi inueſtitura aut ſucceſsione.

QVID



### QVID SIT INVESTITVRA.

TIT. II.

INueſtitura quidem propriè dicitur poſſeſsio: abuſiuo autem modo dicitur inueſtitura, quando haſta vel aliud corporeum quidlibet porrigitur à domino feudi ſe inueſtituram facere dicente, quæ ſi quidem ab illo fiat qui alios habet vaſallos, ſaltem coram duobus ex illis ſolenniter fieri debet: alioqui licet alij interſint teſtes, inueſtitura minimè valeat. Si enim domino adhuc in poſſeſsione conſtituto, an facta ſit inueſtitura, quæratur: non debet probare niſi per pares curtis illius domus, vel per publicum inſtrumentum, à tribus vel à duobus paribus confirmatum. Nam ſi inſtrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amiſſum ſit tunc qui probare deſiderat, pares curiæ illius qui interfuerint, offerat. qui ſi denegauerint, fortè corrupti odio vel gratia ſeu pretio & dicant ſe non interfuiſſe cùm inueſtitura facta fuerat, vel non reminiſci: tunc domino cogente iurent tactis ſacroſanctis ſcripturis, quòd huius rei veritatem neſciant: & tunc actor aut alios producat pares, aut iuriſiurandi domino detur electio: vt proinde iuret inueſtituram factam non eſſe: aut ſacramentum vaſallo referat: & ille aut iuret, aut acquieſcat. Quòd ſi iurare pares aliqua ex cauſa recuſauerint, nec dominus eos iurare compellat: licet vaſallo etiam per extraneos probare inueſtituram. Teſtibus vero deficientibus, iuriſiurandi electio domino detur.

1 ¶ Si vero vaſallus quidem poſſideat, vel ſi feudum cameræ aut cauenæ in duabus ſeu tribus acceptionibus quietis quaſi poſsideat: dominus autem feudum negans eſſe, rem ſuam petat: vel quod de camera vel de cauena bis vel ter (ſicut diximus) iam ſolutum eſt, deinceps ſoluere renuat, tunc non eſt opus probatione: ſed poſsidenti data electione, aut iuret ſuum eſſe feudum rectum, aut domino referatur iuſiurandum. Si autem inueſtitura ab eo, qui vaſallos non habebat, dicatur facta: tunc per quoſlibet idoneos teſtes, aut per publicum inſtrumentum probari poteſt: aut inopia probationis emergente, res decidatur per iuſiurandum.

2 ¶ Præterea ſi aliquis tenor præter communem feudi rationem in inueſtitura à domino dicatur interueniſſe: vel ſi dicatur feudum ſub tali conditione dediſſe, vt vaſallus in feſtiuis diebus vadat cum vxore ſua ad eccleſiam: omni facultate probandi domino adempta, habeat vaſallus poteſtatem defendendi ſe per ſacramentum. Item ſi vaſallus per pactum ſpeciale contra feudi conſuetudinem allegat, velut de filiarum ſucceſsione: liceat ei tenorem, ſi poteſt, ſicut inueſtituram probare: quod ſi in probatione defecerit, vel ceſſauerit: concedatur domino hoc denegare iureiurando præſtito.

### PER QVOS FIAT INVESTITVra, & per quos recipiatur.

TIT. III.

INueſtitura autem aut fit de veteri beneficio, aut de nouo, quæ de veteri fit, etiam à minore poteſt fieri. Siue autem à minore, ſiue à maiore fiat: non de omni poſſeſsione vaſalli, ſed de iuſta tantum facta intelligitur: niſi aliud nominatim dicatur. Noui vero inueſtitura feudi non ab alio rectè fit, niſi ab eo qui legitimè ſuorum bonorum adminiſtrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de ſuis rebus impeditur alienare, is nec per feudum poterit inueſtituram facere.

1 ¶ Sed etiam res cuius alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur, niſi in caſibus: Vt ecce ſi quis ex agnatis tuis rem quæ à communi parente per ſucceſsionem ad eum peruenerit, alienare voluerit: non permittitur ei etiam ſecundùm antiquam conſuetudinem alij eam vendere, niſi tibi, vel alij proximiori pro æquali preciò accipere volenti, per feudum tamen cuilibet dari poteſt: niſi fiat in fraudem noſtræ conſuetudinis, vel legis nouæ bonæ memoriæ Lotharij vel Friderici imperatoris. tunc enim reſciſſa inueſtitura reddito à te vel ab alio proximiori, videlicet ſecundùm antiquam conſuetudinem precio, ſi quod dederit: is qui inueſtituram accepit, compellatur rem tibi reſtituere. Perſonam vero inueſtituram accipientis non diſtinguimus. nam etiam ſeruus inueſtiri poterit, niſi ignorantia prætendatur. Sed vtrum ipſe vel alius pro te inueſtituram faciat vel ſuſcipiat, nihil intereſſe putamus. poteſt enim hoc negocium & per procuratorem ab vtraque parte expediri. Fœminam quoque etiam noui feudi inueſtituram facere poſſe plerique conſentiunt. Nulla autem inueſtitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recuſat: cùm à fidelitate feudum dicatur, vel à fide: niſi eo pacto acquiſitum ſit ei feudum, vt ſine iuramento fidelitatis habeatur.

### QVID PRAECEDERE DEBEAT, an inueſtitura, vel fidelitas.

TIT. IIII.

VTrum autem præcedere debeat fidelitas inueſtituram, an inueſtitura fidelitatem, quæſitum ſcio: & ſæpe reſponſum eſt, inueſtituram debere præcedere fidelitatem. Fidelitatem autem dicimus iuſiurandum quod à vaſallo præſtatur domino.

### QVALITER IVRARE DEBEAT vaſallus domino fidelitatem.

TIT. V.

QValiter autem debeat iurare vaſallus fidelitatem videamus. Iurare ſcilicet ſic debet: Ego iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia, quòd amodo in antea ero fidelis huic, ſicut debet eſſe vaſallus domino: nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit dominus, pãdam alij ad eius detrimentum, me ſciente. Si vero domeſticus, id eſt, familiaris eius ſit, cui iurat: aut ſi ideo iurat fidelitatem, non quod habeat feudum: ſed quia ſub iuriſdictione ſit eius cui iurat: nominatim vitam, membrum, mentem, & eius rectum honorem cuſtodire iurabit.

### DE FORMA FIDELITATIS.

TIT. VI.

IN epiſtola Philiberti epiſcopi in decretis xxij. cauſa, De forma fidelitatis aliquid ſcribere monitus, hæc vobis quæ ſequuntur, breuiter ex librorum authoritate notaui. Qui domino ſuo fidelitatem iurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet, incolume, tutum, honeſtum, vtile, facile, poſsibile. Incolume: ne ſit in damno domino ſuo de corpore ſuo. Tutum: ne ſit ei in damno de ſecreto ſuo, vel de munitionibus ſuis, per quas eſſe tutus poteſt. Honeſtum: ne ſit ei in damno de ſua iuſtitia, vel de aliis cauſis quæ ad honeſtatem eius pertinere videntur. Vtile: ne ſit ei in damno de ſuis poſſeſsionibus. Facile, vel poſsibile: ne id bonum quod dominus ſuus facere leuiter poterat, faciat ei difficile: néve id quod poſsibile ei erat, faciat impoſſibile. Vt fidelis hæc documenta caueat, iuſtum eſt. Sed quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt: reſtat vt in ſex prædictis conſilium & auxilium domino præſtet, ſi beneficio vult di-

gnus videri, & de fidelitate eſſe ſaluus. Dominus quoque in his omnibus vicem fideli ſuo reddere debet, quòd ſi non fecerit, merito cenſebitur malefidus, ſicut ille qui in eorum præuaricatione vel faciendo, vel conſentiendo deprehenſus fuerit perfidus & periurus.

## DE NOVA FORMA fidelitatis.

### TIT. VII.

EſT & alia de nouo ſuper fidelitatis iuramento forma inuenta, & vtentium approbata conſuetudine: quæ hodie ferè in omni curia videtur obtinere, hæc ſcilicet: Ego Titius iuro ſuper hæc ſancta Dei Euangelia quod ab hac hora in antea vſque ad vltimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Caio domino meo contra omnem hominem: excepto Imperatore, vel rege. Quod verbum ſi rectè intelligatur, nulla quidem indiget adiectione, ſed integram & perfectam in ſe continet fidelitatem: ſed propter ſimplices, & nominis ſignificationis ignaros, ad illius verbi interpretationem hoc adiici ſolet: id eſt: Ego iuro quòd nunquam ſcienter ero in conſilio vel in facto, quod tu amittas vitam vel membrum aliquod: vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem vel iniuriam vel contumeliam: vel quod tu amittas aliquem honorem quem nunc habes, vel in antea habebis. & ſi ſciuero vel audiuero de aliquo qui velit aliquod iſtorum contra te facere, pro poſſe meo, vt non fiat impedimentum præſtabo. Et ſi impedimentũ præſtare nequiuero: quàm citò potero tibi nunciabo: & contra eum, prout potero, auxilium meum tibi præſtabo. & ſi contigerit te rem aliquam quam habes vel habebis, iniuſtè vel fortuito caſu amittere, eam recuperare iuuabo, & recuperatam omni tempore retinere. Et ſi ſciuero te velle iuſtè aliquẽ offendere: & inde generaliter vel ſpecialiter fuero requiſitus: meum tibi, ſicut potero, præſtabo auxilium. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaueris, illud ſine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam. & ſi conſilium mihi ſuper aliquo facto poſtulaueris: illud tibi dabo conſilium, quod mihi videbitur magis expedire tibi: & nunquam ex perſona mea aliquid faciam ſciẽter quod pertineat ad tuam vel tuorum iniuriam vel contumeliam. 1 ¶ Inueſtitura vero facta, & fidelitate ſubſecuta, omnimodo cogatur dominus inueſtitum in vacuam poſſeſſionem mittere, quod ſi differat, omnem vtilitatem ei præſtabit.

## DE INVESTITVRA DE RE aliena facta.

### TIT. VIII.

CVm de re aliena vel alij obligata inueſtitura fiat, illud diſtinguitur, vtrum ſcienti an ignoranti facta ſit. Qui enim alienæ rei ſciens inueſtituram accepit, niſi pacto ſpeciali ſibi proſpexerit, de euictione agere non poterit: ignorans verò rectè aget, vt aliud eiuſdem bonitatis ſeu quantitatis ei præſtetur. Sed in eo nulla eſt differentia qui inueſtituram fecit, vtrum ſciuerit vel ignorauerit.

REi autem per beneficium rectè inueſtitæ vaſallus hanc habet poteſtatem, vt tanquam dominus poſsit à quolibet poſsidente, ſibi quaſi vindicare: & ſi ab alio eius rei nomine conueniatur, defenſionem opponere. nam & ſeruitutem eidem rei debitam petere poteſt & retinere. Quid ergo ſi precio vel dolo, aut incuria ſeruitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ad dominum ex qualibet cauſa poſtea beneficium reuertatur: an ex eo præiudicium domino generetur, quæſitum fuit. & reſponſum eſt, vt vaſallo quidem, donec feudum tenet, poſsit obeſſe: domino autem, etſi per longa tempora perſeuerauerit ſeruitus, minimè noceat.

1 ¶ Econtrario autem ſi quid feudo à vaſallo additum ſit: ſiquidem tale adiectum ſit, quod per ſe ſubſiſtere poſsit, id eſt, vt per ſe cenſeatur, vt prædium: id non accreſcit feudo. Si verò per ſe non poſsit ſubſiſtere, vt ſeruitus: pleriſque placet feudo accedere, & ſicut partem feudi diſponendam eſſe, meliorem namque conditionem feudi facere poteſt: deteriorem verò ſine domini voluntate, vel eorum agnatorum ad quos per ſucceſsionem pertinet, facere non poteſt.

2 ¶ Quamuis enim poſſeſsio per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietas ad alium ſpectat: & ideo quartæ ſiue tertiæ ratione, quæ à Longobardis ſeu à Romanis viris vxoribus fieri ſolet, poſt mortem viri ad mulierem nihil pertinet, nam nec pignus quod conſultum dicitur, fieri poteſt ex feudo.

## QVALITER OLIM POTERAT feudum alienari.

### TIT. IX.

EſT autem optima conſuetudine interdicta feudi alienatio: ſuper qua multæ & diuerſæ ſententiæ dabantur in ſingulis ciuitatibus, ſeu curiis: donec Imperator diuæ memoriæ Lotharius tertius promulgauit ſuper hoc nouam conſtitutionem, quæ poſita eſt in titulo de beneficiis. Neceſsitate namque ſuadente poterat olim vaſallus domino inſcio vel inuito feudi partem vendere, retenta videlicet alia parte. Si verò vel totum vel partem volebat per feudum aliquem inueſtire: hoc licebat ei ſine fraude facere. Si autem diſſentiente domino vendebat ſiue per feudum inueſtiebat, (quod & ipſum ſyncere hodie & ſine fraude licet ei facere) ſi tamẽ ſine herede maſculo deſcendente decedebat, vel feudum in manu domini refutabat, aut alia fortè ratione intercedente culpa amittebat: tunc omnis feudi alienatio ad irritum reuocabatur: eo excepto, quod ille qui ſecundo loco beneficium acceperat, non amittebat, ſi priori domino ſeruire, & ab eo feudum recognoſcere volebat.

1 ¶ Donare autem, aut iudicare pro anima, vel in dotem pro filia dare, nullius curiæ poterat conſuetudine: licèt poſſet locare, niſi locatio eſſet fraudulenta alienatio: ſicut eſt per libellum, vt dicatur venditio. Quis enim dubitat, quod libellario nomine ſub viliſsima duorum denariorum penſione perpetuo concedatur vtendum, alienatum in fraudem eſſe? Porro ſiue de bona conſuetudine, ſiue de praua quæramus, conceſſa erat domino pro æquali precio redemtio: niſi hoc beneficium amiſerit dominus per refutationem, vel annali ſilentio, ex quo ſciuerit, computando. Præſcriptione autem triginta annorum ſubmouebatur tam ſciens, quàm ignorans: in prohibendo autem vel redimendo potior erat proximi agnati quàm domini conditio: ſi tamen feudum erat paternum. De illa vero feudi alienatione quæ à domino fit, ſi dubitetur, lex Imperatoris Corradi conſulatur: quæ poſita eſt in iam dicto titulo de beneficiis.

## QVIS DICATVR DVX, MARchio, comes, capitaneus, vel valuaſor.

### TIT. X.

QVi à principe de ducatu aliquo inueſtitus eſt: dux ſolito more vocatur. Qui vero de marchia



chia: marchio dicitur. Dicitur autem marchia, quia marcha. & vt plurimum iuxta mare ſit poſita. Qui verò de aliquo comitatu inueſtitus eſt, comes appellatur. Qui verò à principe vel ab aliqua poteſtate de plebe aliqua vel plebis parte per feudum eſt inueſtitus, is capitaneus appellatur, qui propriè valuaſores maiores olim appellabantur. Qui verò à capitaneis antiquitus beneficium tenent, valuaſores ſunt. Qui autem à valuaſoribus feudum quod à capitaneis habebatur, ſimiliter acceperint, valuaſini, id eſt, minores valuaſores appellantur: qui antiquo quidem vſu conſuetudinem feudi nullam habebant. valuaſore autem ſine filio mortuo, feudum quod valuaſore minori dederat, ad capitaneum reuertebatur. ſed hodie eodem iure vtuntur in curia Mediolanenſi, quo & valuaſores. Cæteri verò qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licèt nouiter à capitaneis ſeu à valuaſoribus acquiſierint, plebeij nihilominus ſunt. Nam illi, qui ſoldatam habuerunt vel acceperunt vel habent: per eam nullum pedagium, ſed nec feudi vſum acquirunt. Soldata autem eſt præſtatio quædam annua gratuita, quæ à neutra parte tranſit in heredem. morte enim dantis vel accipiẽtis interueniente finitur. Soldata verò dicitur, quia plerunque in ſolidorum donatione conſiſtit: quandoque autem in vino & annona conſiſtit.

## DE SVCCESSIONE FRATRVM, vel gradibus ſuccedentium in feudo.

### TIT. XI.

PEr ſucceſſionem quoque ſicut per inueſtituram beneficium ad nos pertinet. Mortuo enim eo qui beneficium tenebat, prima cauſa liberorum eſt. Filiis enim exiſtentibus maſculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per maſculinum ſexum deſcendentibus, cæteri remouentur agnati. Ad filias verò, ſeu neptes, vel proneptes, vel ex filia nepotes ſeu pronepotes ſucceſſio feudi nõ pertinet. Proles enim fœminini ſexus, vel ex fœmineo ſexu deſcẽdẽs, ad huiuſmodi ſucceſſionẽ aſpirare nõ poteſt: niſi eius cõditionis ſit feudum, vel eo pacto acquiſitum. His verò deficientibus vocantur primò fratres cum fratrum præmortuorum filij, deinde agnati vlteriores. Quod ita intelligendum eſt, ſi feudum ſit paternum: hoc eſt, ſi fuit illius parentis, qui eius fuit agnationis communis. Si enim Titij auus de nouo beneficio fuerit inueſtitus, Titio ſine legitimo herede maſculo defuncto, eius feudi ſucceſſio non pertinet ad eiuſdem Titij patruũ magnum: nec ad prolem ex eo deſcendentem, imò reuertitur ad dominum. Ad cognatos enim eius beneficium non pertinet, neque beneficij ſucceſſio. Si verò dominus vel alius beneficium defuncti nouum eſſe dicat, agnatus autem illius proximus paternum eſſe contendat: tunc onus probationis incumbit illi qui nouum dicit. Sed ſcio aliter pronunciatum eſſe. Bonus enim iudex cauſa cognita diligenter intuebitur, cuius potiùs iureiurando dirimenda ſit hæc quæſtio, vtroque ſcilicet in probatione deficiente.

## DE FRATRIBVS DE NOVO BEneficio inueſtitis.

### TIT. XII.

SI duo fratres de nouo beneficio, & non de paterno ſimul inueſtiti fuerint: vno ſine herede defuncto, ad alterum non pertinet eius beneficij portio: niſi facta fuerit eo pacto inueſtitura. Si duo fratres in cauſa communi poſt mortem patris remanſerint, id eſt, habitauerint ſimul, & vnus eorum feudum acquiſierit, plerique dicunt ad alium non pertinere, ſed ad dominum, niſi per pactum: ſed neque viuente eo qui acquiſierit, neque poſt mortem eius fructus tamen erunt communes donec ſimul habitauerint. Quòd ſi cum equis & armis communibus vel pecunia communi ſit acquiſitum, adhuc idem dicunt: ne fortè inuitus dominus alium quàm quem voluerit, ſibi acquirat vaſallum: dum tamen meminerimus, id quod de communi expenſum eſt, alteri pro parte competenti eſſe reſtituendum.

## DE INVESTITVRA QVAM TITIVS accepit à Sempronio.

### TIT. XIII.

TItius à Sempronio talem inueſtituram accepit feudi, vt haberet ipſe & heredes ſui legitimi maſculi: & iis omnibus deficientibus, fœminæ. Portò Titius ſuperſtite tantùm filia deceſſit. Ipſa à domino inueſtita fuit, & feudum in dotem dedit: maritóque ſuperſtite ſine liberis deceſſit. Quærebatur, ſi ad maritum ſucceſſio feudi pertineat. Reſponſum eſt non pertinere.

## DE VASALLO DECREPITÆ ÆTAtis qui feudum refutauit, vt filij inueſtirentur.

### TIT. XIIII.

QVidam vaſallus cùm decrepitæ ætatis eſſet, feudum ſuum in manu domini ad hoc refutauit, vt Seium & Sempronium filios ſuos de eodem beneficio inueſtiret. Vaſallo mortuo Sempronius ſine legitimo herede, Seio adhuc ſuperſtite deceſſit. Lis eſt inter dominum, tanquam nouum feudum ſibi delatum eſſe dicentem: & Seium, paternum eſſe contendentem. Vnde eorum ſententia præualuit, qui dixerunt hoc feudum, quamuis refutatum, nihilominus eſſe paternum.

## DE INVESTITVRA IN MAritum facta.

### TIT. XV.

VAſallus ſuperſtite tantùm vna filia deceſſit: illa verò maritum accepit, cui dominus accepta pecunia partem feudi quod pater puellæ habebat, retẽta ſibi parte altera dedit. Nunc quidam agnatus defuncti cum marito agit, dicens totum hoc feudum eſſe paternum, & ideo omnimodo ad ſe deuolutum. Econtra maritus contendit hanc partem quam ipſe habet, nouum feudum eſſe: & ideo domino apertum. quæritur igitur, vtrum apud dominum eundem, & in eius curia cogatur agnatus defuncti litigare vel apud agnati iudicem, vel arbitrum vtriuſque conſenſu electũ hoc eſſe debeat. Mihi & aliis placet, potiùs apud iudicem ordinarium vel arbitrum, quam apud eundem dominum hoc litigium fore determinandum. Item placet agnatum non ſemper cogendum probare feudum hoc eſſe paternum ſed ab aduerſa parte nouum eſſe probandum. Qua deficiente in probatione, tunc agnato (vt dictum eſt) cauſa cognita detur electio, quatenus vel iuret eſſe paternum, vel alteri parti referat iuſiurandum: & ille aut iuret, aut taceat. Illud tamen ſciendum eſt, quod ſi inter duos qui dixerint ſe eſſe vaſallos, de feudo fuerit dubitatio: alter alterum inuitum trahere non poteſt ad dominum, vel eius curiæ iudicium. Si verò cum ſua curia dominus vocauerit eos: nemini eorum licet illius domini vel eius curiæ examen declinare.

## DE CONTROVERSIA FEVDI apud pares terminanda.

### TIT. XVI.

SI inter dominum & vaſallum de feudo orta fuerit contentio: per pares illius domus, ſicut lex Corradi dicit, dirimatur: ſi tamen pares habeat.

Et ſi quidem dominus & vaſallus conſenſerint in eligendis paribus: nulla dubitatio eſt. Si verò diſſentiāt, tunc quid faciendum ſit, quæritur. ſed præualuit eorum ſententia, qui dixerunt dominum debere eligere priùs, quem aut quos voluerit: & vaſallus ſimiliter hoc faciat ſecundum numerum, à domino comprobatum. Ille tamen vaſallus, qui fidelitatem domino non iurauit, domino vel vaſallo diſſentiente pro pari non eſt eligendus.

## DE EO QVI SIBI (VEL HEREDIbus ſuis maſculis & fœminis) inueſtituram accepit.

### TIT. XVII.

QVi ſibi, vel heredibus ſuis maſculis, vel his deficientibus, fœminis per beneficium inueſtituram feudi accepit: vna tantum filia ſuperſtite, nullo alio deſcendente relicto deceſſit. Hæc marito paternum feudum in dotem dedit, & deceſſit, duobus filiis ex eo procreatis: quorum vnus duas filias reliquit: alter verò vno filio maſculo relicto deceſſit. de prædicto itaque feudo vrgentem vidimus quæſtionem: maſculo quidem hoc feudum totum ſibi, quia ſolus eius qui primo inueſtiturā accepit, heres maſculus ſit, vindicante: fœminis verò totam ſui patris partem ſibi defendentibus, quia ex eo nullus extitit maſculus. Cūmque inter ſapientes ſæpè ſuper hac quæſtione ſit diſputatum, tandem pro maſculo pronunciatum eſt. Non enim patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo qui primus de hoc feudo fuerit inueſtitus. Nam & illud iudicatum ſcio: ſi ille qui proprium feudum ſuum militi pro beneficio dedit, duobus filiis relictis deceſſerit: quorum vnus filia tantum relicta obiit: alter verò filio maſculo relicto ſuperſtite defunctus eſt: quod miles non debet feudum ſuum per fœminam recognoſcere, donec ſupereſt maſculus ex eo qui primam inueſtituram fecit. Alij dicunt per filiam debere recognoſcere, cùm de paterno allodio eſſet hoc feudum: alioqui ſi aliunde eſſet, verum eſſet quod dicitur per fœminam non debere recognoſcere.

## DE DVOBVS FRATRIBVS A capitaneo inueſtitis.

### TIT. XVIII.

DVo fratres, ſcilicet Titius & Seius, à quodam capitaneo de nouo beneficio ſimul inueſtiti ſūt: eo videlicet tenore, vt quandiu ipſi, vel eorum heredes maſculi viuerent, & maſculis deficientibus fœminæ, ſi ſupereſſent, feudum haberent. Ex fratribus his vnus vna filia relicta, altero adhuc viuente deceſſit. Quæritur, cui portio defuncti deferatur, vtrum filiæ, an fratri. Reſpondetur, filiæ vnuſquiſque enim ſibi, ſuiſque heredibus videtur proſpexiſſe. Si tamen is qui filiam reliquit, ſine herede deceſſiſſet, propter tenorem inueſtituræ inſertum, eius pars fratri, non domino eſt quæſita.

## AN REMOVERI DEBEANT TEſtes qui pares eſſe deſierunt.

### TIT. XIX.

EX facto quæſitum ſcio: ſi inter dominum & fidelem de inueſtitura feudi cōtentio emerſerit, quia factam eam dominus neget, ſi vaſallus offerat eos teſtes, qui tempore inueſtituræ pares erant, ſed poſtea qualibet ex cauſa pares eſſe deſierunt: an ideo ſint remouendi, quia nunc non ſunt pares. Sed quamuis alij aliter ſentiant, tamen mihi & quibuſdam aliis videtur ſufficere eos tempore inueſtituræ ſaltem pares fuiſſe. Quid enim peccauit qui inueſtituram accepit, ſi illi quos eo tempore, vtpote idoneos, adhibuit, poſtea pares eſſe deſierunt?

## DE CONTROVERSIA INter epiſcopum & vaſallum.

### TIT. XX.

EX eo quod ſcriptum eſt, ſi inter dominum & vaſallum de feudo naſcatur quæſtio, quod per pares eiuſdem curiæ dirimenda ſit: quæſitum eſt, ſi quis dixerit ſe à quodam epiſcopo fortaſſis iam defuncto de annua præſtatione, aut qualibet alia re per feudum inueſtituram accepiſſe: & cum ſucceſſore eius agat, & ille reſpondendo neget hunc eſſe vaſallum: vtrum per pares eiuſdem curiæ ſit iudicandum ſuper hac quæſtione. Opponit enim vaſallus, quòd dominus eum negat eſſe vaſallum, & ideo in ea curia pares non habet. Item dicit vaſallus, quod prius de ſuo recto feudo debet inueſtiri, quàm à nemine iudicari: domino reſpondente, quòd quicquid inter eos ſiue de inueſtitura, ſiue de fidelitate, ſiue de principali cauſa agendum eſt, per ſuam curiam eſt expediendum. Sed laudatum ſæpè ſcio, pares illius ſecundùm præfatum modum eſſe eligendos prius, ad quorum ſpectat officium, vt illum prius de ſuo recto feudo inueſtiri faciant: ſed fidelitatis iuſiurandum differatur, donec de principali cauſa cognoſcatur. Ex illo enim apparebit vtrum iurare debeat, an non. quod totum expeditæ quæſtionis eſt. Sed ſi conſtiterit vaſallum aliquid aliud præter id de quo quæritur, ab eodem domino tenere pro feudo: tunc quin debeat de ſuo recto feudo inueſtituram accipere & fidelitatem iurare, & ſic ad principalem cauſam accedere, non eſt dubitandum.

## DE VASALLO MILITE QVI arma bellica depoſuit.

### TIT. XXI.

MIles qui beneficium tenebat, cum eſſet ſine liberis venerabilem domum intrauit, & ſeculo renunciando, arma bellica depoſuit, habitumque religionis aſſumpſit, & ſic conuerſus factus eſt. Hic donec vixerit, feudum retinere conatur. quod dominus vel agnatus ſibi pertinere contendit. Sed iudicatum eſt domini vel agnati conditionem eſſe potiorem: eo quòd deſiit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti: nec beneficium pertinet ad eum qui non debet gerere officium.

## DE MILITE VASALLO QVI contumax eſt.

### TIT. XXII.

DOminus vocat militem, qui ab eo feudum poſſidebat, dicendo eum in culpam incidiſſe per quam feudum amittere debeat. hic non reſpondet. Quæritur, quid faciendum ſit domino. Reſpondeo eum ad curiam vocari debere: & ſi non venerit, iterum eum debere vocari vſque in ſpatio tertio, ſeptē vel decem dierum, arbitrio eiuſdem curiæ terminando. Quòd ſi neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipſo feudum amittat: & ideo debet curia dominum mittere in poſſeſſionem. Sed ſi intra annum venerit, reſtituitur ei poſſeſſio: alioqui & beneficium & poſſeſſionem amittit: vt in Lombarda de iis qui ad palatium venire contempſerint. l. ſi cuiuſcumque. Si verò vaſallus conqueritur de domino, forſan quia feudum malo ordine intrauit: domino perperam reſpondente, quid vaſallo faciendum ſit, quæritur. Reſpondeo, eum curiam debere vocare & in eadem curia de domino cōqueri. Curia autem debet adire dominum, eumque ſalua reuerentia competenter cogere,



vt vel poſſeſſionem reſtituat & acquieſcat: vel iudicio curiæ ſe committat. Quod ſi ter admonitus facere diſtulerit: tunc licet vaſallo ad aliam maiorem poteſtatem ire, & ſibi conſulere: & ſi dominus ei iuſtitiam facere noluerit, poterit eum deprædare.

## IN QVIBVS CAVSIS FEVdum amittatur.

### TIT. XXIII.

OBertus de Orto, Aſelmo (filio) ſuo ſalutem. Cogis me, & ſuper hoc ſæpe ſcribendo multum vrges, vt cauſas quibus beneficium amittatur, enumeratas, tibi ſignificarem. Quod ideo diſtuli, quia ſæpius circa noſtræ Reipublicæ curam occupatus, & multis priuatorum cauſis, aliiſque rerum innumerabilium impedimentis detentus, onus illud ſubire nō valebam. At ne videar preces tuas parui pendere, & ſtudium dicendi tibi nunc imminens negligere: quid mihi ſuper hoc videatur, paucis explicabo, dummodo memineris cauſas illas ſub aliqua certa regula aut definitione rotunda non poſſe comprehendi. Nā ſicut de probationibus in Digeſtis ſcriptum reperimus: ſic & de his cauſis ſine calumnia dicere poſſumus: Si quis enim dixerit, quæ cauſæ quemadmodū alicui domino ad ingratitudinem alicuius vaſalli probandam poſſint ſufficere, nullo certo modo poſſe definiri, nihil errauerit. De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium amittatur, non enim ad hoc ſufficit omnis occaſio per quam fidelis accepti beneficij videtur ingratus: ſed ſunt quædam (vt ita dixerim) egregiæ ingratitudinis cauſæ, quibus beneficium ſecundum mores curiarum ſolet adimi. Quomodo enim vaſallus, quàm humiliter, quàm deuotè, quàm benignè, quàm fideliter erga dominum ſuum debeat ſe habere: potius ex naturalibus & bonis curiarum conſuetudinibus poteſt percipi, quàm lege aut ſcripto aliquo poſſit comprehendi. In primis te illud ſcire oportet, beneficij illius quod eſt genus, talem eſſe definitionem: Beneficium nihil aliud eſt quàm beneuola actio, tribuens gaudium capientibus, capiénſque tribuendo: in id quod facit prona & ſponte ſua parata, vt ait Seneca. Huius autem generis ſpecies quædam eſt beneficium illud quod ex beneuolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes datem remaneat: vſusfructus verò illius rei ita ad accipientem tranſeat, vt ad eum heredéſque ſuos maſculos, ſiue fœminas (ſi de his nominatim dictum ſit) in perpetuum pertineat: ad hoc vtile & ſui heredes fideliter domino ſeruiant: ſiue ſeruitium illud nominatim quale eſſe debeat, ſit expreſſum, ſiue indeterminatè ſit promiſſum.

## QVÆ FVIT PRIMA CAVSA beneficij amittendi.

### TIT. XXIIII.

PRima autem cauſa beneficij amittendi hæc fuit, & adhuc eſt in pleriſque curiis (ſed in noſtra curia Mediolanenſi non obtinet) quod ſi vaſallus per annum & diem domino ſuo mortuo ſteterit, quòd heredem domini ſui, inueſtituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit: tanquam ingratus exiſtens, beneficium amittit: & econuerſo, ſi domino ſuperſtite vaſallus deceſſerit, & filius eius per iam dictum tempus neglexerit petere inueſtituram, beneficio carebit.

1 ¶ Eſt & alia ingratitudo notanda, ſi dominus inueſtituram pollicendo vaſalli fidelitatem petierit: & illo non præſtante, dominus tribus vicib. conuenienti tempore interpoſito, fortè ſeptem dierū ſpacio, ad curiam ſuam ſuper hoc reclamauerit: & vaſallus tribus vicibus citatus à ſuis paribus iurare noluerit: ſi tamen beneficium tale ſit, vt pro eo iuſiurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quædam feuda ita data, vt pro his fidelitas non ſit præſtanda.

2 ¶ Item qui dominum ſuum cum quo ad prælium iuerit, in acie periclitātem dimiſerit, beneficio indignum ſe indicauit. Præterea ſi vaſallus reſcierit aliquem contra dominum ſuum aſſaltum, vel mortem, vel captionem, aut patrimonij grandem iacturam facere molientem: debet dominum ſuper hoc, quàm citius poteſt, certiorare: vt proinde dominus ſciens prudénſque periculum valeat declinare. Quod ſi non fecerit, dolóque vel negligentia ſua vel fraude celauerit: beneficio ſe cariturum agnoſcat. Rurſus ſi domini vel dominæ filiæ, vel nurui aut ſorori in domo adhuc manenti, quæ in capillo dicitur, ſeſe immiſcuerit ſeruendo, quo ſe monſtrauerit indignum, carere debet. Porrò ſi dominum aſſalierit, vel vicum in quo eſt, per vim aggreſſus fuerit: vel impias manus in perſonam domini vbicumque ingeſſerit: vel alias graues, vel inhoneſtas iniurias intulerit, vel morti eius veneno, vel gladio, vel aliter inſidiatus fuerit, beneficium amittit. Illud tamen non lateat, quòd ſi quis ſuo domino iuſtitiam facere noluerit, feudum quod tenebat, perdet: ſicut in alio libello tibi ſcripſiſſe hoc credo. Sed non eſt alia iuſtior cauſa beneficij auferendi, quàm ſi id propter quod beneficium datum fuerit, hoc ſeruitium facere recuſauerit: quia beneficium amittit. Aliud eſt ſi fortè ideo non ſeruierit, quia non potuerit. tunc enim feudum non amittit. Item ſi delator domini ſui extiterit, & per ſuam delationem graue diſpendium eum ſuſtinere fecerit: vel ſi cognouerit dominum incluſum, & eum cùm potuerit non liberauit, feudum perdit. Prædictis modis beneficium debere amitti, tam naturalis, quàm ciuilis ratio ſuadet quæ poteſt colligi, ſi quis nouam conſtitutionem iuſtas exheredationis cauſas enumerantem, & alias conſtitutiones veteres, iuſtas ingratitudinis & repudij cauſas, quibus matrimonia rectè contracta ſoluuntur, & donationes iure perfectæ reuocantur, ſubtiliter ſcrutatus fuerit. Sed quia natura nouas deproperat edere formas, poteſt multis modis contingere, vt aliæ emergant cauſæ, quibus videatur iuſtè adimi poſſe feudum, ideóque iudex ſolers & diſcretus: & æquitati obſecundare ſolicitus, cuncta ſubtiliter diſpenſans, prouideat ſi qua fuerit antiquioribus cauſis ſimilis ſeu maior: vt proinde ſciat vtrum beneficium ſit amittendum, an nihilo minus retinendum. Illud enim eſt certum, quòd non ex omni cauſa ex qua opinio vaſalli grauatur, beneficium amittitur. Nam & ſæpe deierat, & beneficium nihilo minus retinet: vt puta qui beneficij portionem alienat abſque domini ſcientia, beneficium quidem retinet, ſed fidem promiſſam ſeruare non videtur.

DEnique ſæpè quæſitū eſt vaſallo propter iuſtā culpam à feudo cadente, vtrū ad dominū, an ad ſucceſſorem vaſalli beneficium pertineat, ſed hæc diſtinctio tam ratione quàm moribus comprobata eſt, vt ſi quidem vaſallus ita in dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat: non ad proximos, ſed ad dominum beneficium reuertatur: vt hanc ſaltem habeat ſuæ iniuriæ vltionem. Si verò non in dominum, ſed alias grauiter deliquerit, vel graue quid commiſerit, ſicut ille qui fratrem ſuum interfecit: vel aliud graue crimen (quod parricidij appellatione continetur) commiſerit, feudum amittit: & non ad dominum, ſed ad proximos pertinet: ſi tamen beneficium fuerit paternum. ſic enim ſæpè pronuntiatum ſcio. Si vaſallus contra conſtitutionem bonæ memoriæ Lotharij imperatoris beneficium alienauerit: quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertineat. ſcriptum eſt enim, vt pretio ſe cariturum agnoſcat.

## SI DE FEVDO VASALLVS AB aliquo interpellatus fuerit, & dominus eum defendere noluerit.

### TIT. XXV.

NEgotium tale eſt : Quidam vaſallus à domino tenebat feudum, de quo ab aliquo interpellatus fuit: & ſic vaſallus dominum vocauit, vt eum defenderet. domino renuente ad iudicem venire, vaſallus amiſit cauſam per ſententiam, nunc vero vaſallus cambium feudi à domino petit : ad quem dominus reſpondés, ait illum numquam ab eo feudum tenuiſſe : nec ab eo inueſtituram accepiſſe, contra quem vaſallus dicit ſe hoc feudum ab eo tenuiſſe, & inueſtituram recepiſſe: & ab eo petiuiſſe vt eum in iudicio defenderet: nec tunc temporis inficiabatur illius eſſe. quod idoneis totum teſtibus probat vaſallus. Reſpondi : Super negotio iſto quod literis inſinuaſti nobis, tale eſt ſapientium noſtræ ciuitatis conſilium, videlicet Oberti de Orto, & Gerardi Capagiſti, vt ſi vaſallus cum de feudo interpellabatur, authorem ſuum, id eſt dominum, vt eum defenderet vocauit, & hoc probare poſſit, ſi in eo iudicio vaſallus fuerit victus de re aliena inueſtitum fuiſſe: vt domini vaſallo eiuſdem æſtimationis quod erat tempore rei iudicatæ, feudum reſtituat, vel nummos in feudum dandos numeret: & hoc cùm certum eſt vaſallum de feudo victum fore. Sed ſi dominus neget hoc feudum vmquam ab eo tenuiſſe, nec ab eo domino ipſum vaſallum vel eius anteceſſores vnquam inueſtituram accepiſſe: & hoc vel per inſtrumentum publice confectum: vel per pares curtis vaſallus poterit probare dominus ad reſtitutionem feudi tenebitur : alioqui dominus ſacramentum ſubire cogetur, iſtum qui eſt in cauſa, vel eius anteceſſores à ſe vel à ſuis anteceſſoribus nunquam hoc feudum tenuiſſe, vel inueſtituram accepiſſe: quo facto dominus abſoluendus erit.

## SI DE FEVDO DEFVNCTI contentio ſit inter dominum & agnatos vaſalli.

### TIT. XXVI.

SI de feudo defuncti militis ſit contentio inter dominum & agnatos defuncti, domino nouum feudū, agnatis verò paternū eſſe cōtendentibus: agnati in poſſeſſione feudi de quo quæritur, conſtituendi ſunt. Eo facto, ſuper principali quæſtione cognoſcendum eſt. vtroque autem deficiente in probatione, electio iuriſiurandi agnatis danda eſt.

INter filiam defuncti, & agnatos eius, de quodam prædio mota eſt quæſtio, agnatis feudum, filia verò allodium ſiue libellarium eſſe aſſerentibus. ſuper poſſeſſione apud quem manere debeat, quærebatur. Reſponſum eſt, apud filiam poſſeſſionem interim eſſe collocandam: deficientibus verò hinc inde probationibus, per iuſiurandum cauſa cognita res decidetur. electione danda agnatis. Defuncto milite, inter dominū & filiā illius ſuper quodā feudo quærebatur: domino feudum, filia allodium ſiue libellarium eſſe allegante. Reſpondit, filiam in poſſeſſione feudi manere debere, donec de eo iudicetur. probatione verò hincinde ceſſante, electio iuriſiurandi filiæ danda eſt.

MOribus receptū eſt, dominum de feudo militis ſui quod poſt mortem ipſius ad dominū reuerti ſperabatur, in aliū militē inueſtituram facere poſſe: quæ inueſtitura tūc demū capiet effectū, cùm feudum domino aut heredi ſuo fuerit apertum : Secus eſt in eccleſiaſticis perſonis, nam ſi eccleſiaſtica perſona talem faciat inueſtituram: non aliter valebit, niſi ſibi, non etiam ſucceſſori ſuo feudum aperiatur: & in tali inueſtitura conſenſus eius de cuius feudo ſit, exquiri non oportet.

VAſallus ſi feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionem ex certa ſcientia inficiatur, & inde conuictus fuerit, eo quòd abnegauit feudum eius, vel conditionem, expoliabitur. alius autem vaſallus quamuis hoc ſciens non patefaciat, feudum tamen retinet : aut ſi aliam rem domini celauerit vaſallus, feudum tamen non amittit.

SI quis per triginta annos rem aliquam vt feudum poſſedit, & ſeruitium domino exhibuerit, quamuis de ea re non ſit inueſtitus, præſcriptione tamen triginta annorum ſe tueri poteſt.

QVi clericus efficitur, aut votum religionis aſſumit: hoc ipſo feudum amittit.

ETſi vaſallus omni anno domino ſe non repræſentat: feudum tamen non amittit.

OMnes filij eius qui feudum acquiſierit, fidelitatem facere debent: maximè ſi indiuiſum habet. quòd ſi feudum ex diuiſione ad vnum tantum peruenerit: ille tantùm faciet fidelitatem.

ADoptiuus filius in feudum non ſuccedit.

MVlier habens feudum, relictis filiis ex duobus matrimoniis deceſſit: inter quos feudi quæſtio aliarúmque rerum maternarum vertebatur. obtinuit filios prioris matrimonij tam in feudo quàm in cæteris potiores eſſe.

NAturales filij licèt poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi, nec ſoli, nec cum aliis admittuntur.

SI minori datum fuerit feudum, fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in maiorem ætatem, in qua doli capax ſit: feudum tamen retinet.

5 ¶ Si quis deceſſerit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipſe, nec alius pro eo facere cogitur. Idē de ſeruitio perſonali. alius tamen pro eo faciens ſeruitium admittetur.

TItius filios maſculos non habens, partem ſuam feudi Seio, partem eiuſdem feudi poſſidenti agnato ſuo conceſſit. Sempronius proximior agnatus mortuo demum Titio partem illius feudi nullo dato pretio recuperare poteſt. quòd ſi Titius filios proprios haberet, pretio reddito etiam viuo Titio : quòd ſi conſenſit alienationi, vel per annum ex quo ſciuit, tacuit: omnino remouebitur.

SI facta de feudo inueſtitura pœniteat dominum antequam poſſeſſionem transferat : an præſtando intereſſe vaſallo, liberetur, quæſitum fuit. Reſponſum eſt, prætermiſſa illa condemnatione, dominum poſſeſſionem feudi de quo inueſtituram fecit, tradere compellendum.

FIlij nati ex ea vxore, cum qua matrimonium tali conditione contractum eſt, ne filij ex ea nati, patri ab inteſtato ſuccedant: in feudo ſuccedunt. nam quāuis ratione imprŏbetur talis conditiŏ, ex vſu tamen admittitur.

LIcèt vaſallus domino ſeruitium non offerat: quantocumque tempore ſteterit, dummodo domino petenti ſeruire paratus ſit, beneficium non amittit. ſi tamen ſciat ei magnum periculum imminere : vltrò adiutorium ſuum ei debet præbere. Inde quæſitum eſt, ſi dominus in periurium incidat, quia dare non valeat quod dare iurauerat: & vaſallus eum liberare poſſit ſuam pecuniam dando, & non facit : an beneficium amittat & reſponſum eſt, non amittere.

SI vaſallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat : neque filius, neque eius deſcendentes ad id feudum reuocabuntur : ſed agnati qui quarto gradu ſunt : dummodo ad eos pertineat.

IN generali alienatione vaſalli, non continetur feudum, niſi nominatim dictum ſit.





SI vaſallus feudum alienauit ignorans: non domino, ſed ipſi vaſſallo feudum reſtituendum eſt : ad intereſſe vero emptor ignoranti condemnandus eſt vaſallus.

VAſallus feudum, quod ſciens abnegauit, amittit: ignoranti vero ſubuenitur. Quod ſi dubitet: dubitanter reſpondere debet.

BEneficium à vaſallo in feudum, ſi nihil in fraudem legis fiat, rectè dari poteſt : dum tamen militi detur.

SI vaſallus de beneficio ſuo agat, vel conueniatur: ſiue obtineat, ſiue non, licèt ignorante domino fiat, omni tempore firmum erit illud iudicium: nam & tranſigere rectè poterit : nec quod accepit tranſactionis nomine, feudum erit.

DOmino committente feloniam (vt ita dicam) per quam vaſallus amitteret feudum ſi eā committeret : quid obtinere debeat de conſuetudine, quæritur. & reſpondetur, proprietatem feudi ad vaſallum pertinere, ſiue peccauerit in vaſallum, ſiue in alium.

FEudum ea lege datum, vt ipſe & heredes ſui maſculi & fœminæ, & cui dederit, habeant, iiſdem culpis amittitur, quibus & aliud feudum. Quod ſi vaſallus alienauit, feudum eſſe deſinit apud emptorem.

TItius cum Sempronio fratre ſuo feudum paternum poſſidente pactum fecit de eo feudo non petendo à Sempronio heredibuſve ſuis. Sempronio ſine herede maſculo defuncto, inter Titium & Seium fratrem ſuum de eo feudo quæſtio orta eſt. quid inde fieri debeat, quæritur, Reſponſum eſt, pactum non obſtare Titio.

## DE PACE TENENDA, ET EIVS violatoribus.

### TIT. XXVII.

FRidericus Dei gratia Romanus Imperator, ſemper Auguſtus, epiſcopis, ducibus, comitibus, marchionibus, & omnibus ad quos literæ iſtæ peruenerint, gratiam ſuam, & pacem. & dilectionem. Quoniam diuina præordinante clementia, ſolium regiæ maieſtatis conſcendimus: dignum eſt vt cuius præcellimus munere, illi omnino pareamus in opere. Inde eſt quod nos tam diuinas quàm humanas leges in ſuo vigore manere cupientes, & eccleſias ſiue eccleſiaſticas perſonas ſublimare, & ab incurſu & inuaſione quorumlibet defenſare intendentes. quibuſcumque perſonis ius ſuum cōſeruare volumus: & pacem diu deſideratam, & antea toti terræ neceſſariam, per vniuerſas regni partes habendam regia auctoritate indicimus. Qualiter autem eadem pax tenenda ſit & ſeruanda, in ſubſequentibus declarabitur euidenter. Si quis hominem intra pacem conſtitutum occiderit, capitalem ſubeat ſentētiam: niſi per duellum hoc probare poſſit, quod vitam ſuam defendendo illum occidit. Si autem omnibus manifeſtum ſit, quod non neceſſario, ſed voluntariè illum occiderit: tunc neque per duellum, neque quolibet alio modo excuſabitur, quin capitali damnetur ſententia. Si vero violator pacis à facie iudicis fugerit : res eius mobiles à iudice in populum publicentur, & diſpenſentur: heredes autem ſui hæreditatem quam ipſe tenebat, recipiant tali conditione interpoſita, vt iureiurando ſpondeant, quod ille violator pacis nunquam deeætero ipſorum voluntate aut conſenſu aliquod emolumentum inde percipiat. Quod ſi heredes neglecto poſtmodum iuris rigore, hereditatem ei dimiſerint, comes eandem hereditatem regiæ ditioni aſſignet : & à regio iure beneficium ſuſcipiant. Si quis alium intra pacis edictum vulnerauerit: niſi quod in duello, & vitam ſuam defendendo hoc fecerit, probauerit, manus ei amputetur: & ſicut ſuperius dictum eſt, iudicetur: & iudex in cauſa ipſum, & res eius ſecundùm rigorem iuſtitiæ ſtrictius conſequatur. Si quis aliquem ceperit, & abſque ſanguinis effuſione fuſtibus percuſſerit, vel crines eius aut barbam expilauerit: decem libras ei cui iniuria illata eſſe videtur, per compoſitionem impendat : & iudici viginti libras perſoluat. Si vero temerarius abſque percuſſione eum inuadat eo quod vulgo dicitur ciſteros. & calida manu ac verberibus contumeliiſque malè tractauerit, quinque libras pro tali exceſſu componat. & iudici pro tali exceſſu decem libras perſoluat Quicunque iudici ſuo pro exceſſu viginti libras inuadiauerit: prædium ſuum pro pignore illi tradat, & intra quatuor ſeptimanas inuadiatam pecuniam perſoluat. Quod ſi intra quatuor ſeptimanas prædium ſuum ſoluere neglexerit : heredes ſui ſi voluerint, hereditatem recipiant, & comiti intra ſex ſeptimanas viginti libras perſoluant. Si autem comes eandem hereditatem regiæ poteſtati conſignet : proclamatori etiam damnum reſtituat, & prædium à rege beneficiali iure obtineat.

1 ¶ Si clericus de pace violata pulſatus fuerit, id eſt notatus & proſcriptus fuerit: aut pacis violatorem in contubernio ſuo habuerit : & de his in præſentia ſui epiſcopi ſufficienti teſtimonio conuictus fuerit : comiti in cuius comitatu idem clericus hoc perpetrauerit, viginti libras perſoluat: & de tanto exceſſu ſecundum ſtatuta canonum epiſcopo ſatisfaciat. Si autem idem clericus inobediens extiterit : non ſolum officio & beneficio eccleſiaſtico priuetur: verumetiam tanquam proſcriptus habeatur.

2 ¶ Si iudex populi clamore aliquem pacis violatorem ad caſtrum alicuius domini ſecutus fuerit: dominus cuius caſtrum id eſſe cognoſcitur, ad faciendam iuſtitiam illum producat. Qui ſi de ſua fuerit diffiſus innocentia, & ante conſpectum iudicis venire formidauerit, ſi manſionem in caſtro habet, dominus eius omnia bona mobilia ſub ſacramento iudici repræſentet : & eum de cætero in domo ſua, tanquam proſcriptum, non recipiat. Si vero manſionem in caſtro non habuerit : dominus eius ſecurè eum adducere faciat, & poſtmodum iudex cum populo eum tanquam pacis violatorem perſequi non deſiſtat. Si duo homines pro vno beneficio contendunt, & vnus ſuper eodem beneficio inueſtitorem producit: illius teſtimonium, cum inueſtitor donum inueſtituræ cognoſcit, comes primo recipiat. & ſi idem probare poterit idoneis teſtibus quod abſque rapina hoc idem beneficium habuit : remota controuerſiæ materia, id obtineat. Quod ſi de rapina præſente iudice conuictus fuerit : rapinam dupliciter ſoluat : beneficio vero careat : niſi iuſtitia & iudicio dictante illud in poſterum requirat. Si tres vel plures contendunt de eodem beneficio, producentes vtrinque diuerſos inueſtitores : iudex in cuius præſentia cauſa ventilatur, à duobus requirat boni teſtimonij hominibus, in prouincia eorundem litigatorum commorantibus, per ſacramentum quod iurauerint, quis illorum abſque rapina eius beneficij poſſeſſor extiterit : & cognita ex ipſorum teſtimonio rei veritate, poſſeſſor beneficium ſuum quietè obtineat : niſi iudicio & iuſtitia dictante alter de manu ſua illud eripiat.

3 ¶ Si ruſticus militem de violata pace pulſans, manu ſua iurauerit, quod non de voluntate ſua, ſed de neceſſitate hoc fecit : manu militari ſe miles expurgabit. Si miles ruſticum de violata pace pulſauerit, & manu ſua iurauerit, quod non voluntate, ſed neceſſitate hoc fecit: de duobus vnum ruſticus eligat, an diuino, an humano iudicio innocentiam ſuam oſtendat: aut ſeptem teſtibus idoneis quos iudex elegerit, ſe purget. Si miles aduerſus militem pro

pace violata, aut aliqua capitali cauſa duellum committere voluerit: facultas pugnandi ei non concedatur, niſi probare poſſit quod antiquitus ipſe cum parentibus ſuis natione legitimus miles exiſtat. 4 ¶ Poſt natalem ſanctæ Mariæ vnuſquiſque comes ſeptem boni teſtimonij viros ſibi eligat: & de qualibet prouincia cùm ipſis ſagaciter diſponat: & quanto precio ſecundum qualitatem temporis ſit annona vendenda, vtiliter prouideat. Quicunque verò contra deliberationem ipſius, intra anni terminum altius modium & carius vendere præſumpſerit, tanquam violator pacis habeatur: & totidem viginti libras comiti exoluat, quanti modios ſiue maldios altius vendidiſſe cōuictus fuerit.

Si quis ruſticus arma vel lanceam portauerit, vel gladium: iudex in cuius poteſtate repertus fuerit, vel arma tollat, vel viginti ſolidos pro ipſis recipiat à ruſtico. Mercator negotiandi cauſa per prouinciam pertranſiens, gladium ſuum ſuæ ſellæ alliget, vel ſuper vehiculum ſuum ponat: nō vt quem lædat innocentem, ſed vt à prædone ſe defendat. Nemo retia ſua, aut laqueos, aut alia quælibet inſtrumenta ad capiendas venationes tendat, niſi ad vrſos, apros, vel lupos capiendos. Ad palatium comitis nullus miles ferat arma niſi rogatus à comite.

5 ¶ Publici latrones & conuicti, antiqua damnentur ſententia. Quicumque aduocatiam ſuam vel aliquod aliud beneficium inornatè tractauerit, & à domino ſuo admonitus non reſipuerit, & in ſua perdurans inſolentia, ordine iudiciario tam aduocatia quàm beneficio exutus fuerit: ſi poſtmodum auſu temerario aduocatiam vel beneficium inuaſerit, pro violatore habeatur.

6 ¶ Si quis quinque ſolidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur, ſi minus: ſcopis & forpice excorietur & tundatur. Si miniſteriales alicuius domini inter ſe guerram habuerint: comes ſiue iudex in cuius regimine eam fecerint, per leges & iudicia ex ratione proſequatur. Quicunque per terram tranſiens equum ſuum pabulare voluerit, quanto propinquius ſecundum viam ſtans in loco amplecti potuerit ad refectionem & reparationem equi ſui, impunè ipſi equo porrigat. Licitum ſit etiam ipſi vti herba & viridi ſylua: & ſine vaſtatione aliqua quilibet vtatur pro ſua commoditate, & vſu neceſſario.

HIC FINITVR LEX, DEINDE conſuetudines regni incipiunt.

TIT. XXVIII.

DOmino guerram faciente alicui, ſi ſciatur quòd iuſtè, aut cùm dubitatur, vaſallus eum adiuuare tenetur. Sed cùm palàm eſt quòd irrationabiliter eam facit, adiuuet eum ad eius defenſionem, ad offendendum verò alium, non adiuuet, ſi vult. Sed ſi eum adiuuare noluerit: non tamen feudum amittet, ſecundum Obertum de Orto, & Gerardum (Capagiſtum.) Alij verò ſine diſtinctione dicunt ſemper debere eum adiuuare. Sed Obertus & Gerardus vtuntur eo argumento, quòd quemadmodum dominum excommunicatum, vel à rege bannitum non eſt obligatus vaſallus ad adiuuandum, vel ſeruitium ei præſtandum, imò ſolutus eſt interim ſacramento fidelitatis, niſi ab eccleſia, vel à rege fuerit reſtitutus: ita nec iſtum iniuſtè guerram alicui facientem.

AD hoc quantocumque tempore ſteterit vaſallus quod domino non ſeruierit, ſecundum vſum Mediolanenſium, beneficium non amittit: niſi ſeruitium facere renuerit, vel niſi à domino ei denunciatum fuerit: & ille cùm potuerit, diu ſteterit quòd ſeruitium nullum ei fecerit. Bonus tamen iudex variè ex perſonis cauſiſque definiet, & finget vaſallum remotum eſſe, vel propinquum: paratum eſſe vel non: dominum guerram habere, vel non: vtrum etiam magnam vel paruam: & annuntiauit ei dominus, vel non. hæc omnia vertuntur in cognitione cauſæ: & promptiores ſumus ad abſoluendum, quàm ad condemnandum. Tu tamen ſcias, quòd ſi vaſallus ſciat dominum obſideri, vel aliter ei mortem imminere: & cùm potuerit, ei non nuntiauerit: vel etiam ſine nuntio eum non adiuuerit, feudo priuabitur.

SI vaſallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipſum ſua pecunia meliorauerit, & contigerit poſtea vt vaſallus ſine filio maſculo decedat: dominus aut patiatur ædificium auferri, aut ſoluat precium meliorationis. Idem dico ſi precio ſeruitutem feudo acquirat. Quidam alij dicunt omnino ad dominum pertinere.

(HIs conſequenter dicitur, quòd) ſi vaſallus decedat ſine herede maſculo, & contingat feudū ad dominum reuerti, ſic diſtinguitur, quòd ſi ante Martium omnes fructus illius anni ex feudo prouenientes, ad dominum pertinebunt. Si verò poſt Kalendas Martij vſque ad Auguſtum, omnes fructus qui interim percipiuntur, ad heredes vaſalli pertineant. Si verò poſt Auguſtum, omnes fructus anni percipiet dominus. Quidam tamen dicunt quocumque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad dominum pertinere.

COntra omnes debet vaſallus dominum adiuuare, & contra fratrem & filium (& patrem) niſi contra alium dominum antiquiorem. hic enim cæteris eſt præferendus.

DE FILIIS NATIS EX MATRIMOnio ad morganaticam contracto.

TIT. XXIX.

QVidam habens filium ex nobili coniuge, poſt mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens exiſtere in peccato, eam deſponſauit ea lege, vt nec ipſa, nec filij eius amplius habeant de bonis patris, quàm dixerit tempore ſponſaliorum: verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare quando eam deſponſauit: quod Mediolanenſes dicunt, accipere vxorem ad morganaticam: alibi, lege Salica hic filiis ex ea ſuſceptis deceſſit. Iſti in proprietatem non ſuccedunt, aliis extantibus: ſed nec in feudo, etiam aliis non exiſtentibus qui licèt legitimi ſint, tamen in beneficio minimè ſuccedunt. In proprietate vero ſuccedunt patri, prioribus non exiſtentibus. Succedunt etiam fratribus ſine legitima prole decedentibus ſecundùm vſum Mediolanenſium.

DE FEVDO FOEMINAE.

TIT. XXX.

SI fœmina habens feudum deceſſerit: quia fœmineum eſt feudum, & ſine pacto ſpeciali deficientibus filiis maſculis ad filias pertinebit. Obertus & Gerardus. Alij verò dicunt niſi per pactum ſpeciale ad eas non pertinere: ſicut ſi datum eſſet filio maſculo: quia ſi ideo quòd eſt fœmineum, ſine pacto tranſit in fœminas: eadem ratione, quia eſt fœmineum, tranſit in fœmineam prolem, etiam maſculis extantibus: quod falſum eſt. Ex hoc illud deſcendit quod dicitur, clericum nullo modo in beneficium paternum debere ſuccedere, etiam ſi poſteaquam habitum religionis aſſumpſerit: poſtpoſuerit. Idem in omnibus, qui habitum religionis aſſumunt, vt conuerſi. Hi enim nec poſtea in feudo ſuccedunt, & ſi quod habent, perdunt.

SI VASALLVS FEVDO PRIVETVR, cui deferatur.

TIT. XXXI.





VAſalli feudum delinquentis, licèt ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aſpirabit, niſi id iterum à domino licitè acquirat ſibi gratiam faciente. Verbi gratia, ſi non ſunt alij ex latere, quibus aperiatur: ad eius petitionem admittuntur qui quarto gradu ſunt remoti ab eo qui id acquiſiuit, & etiam vſque ad infinitum, dum tamen hos conſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe.

QVI TESTES SVNT NECESSARII ad nouam inueſtituram probandam.

TIT. XXXII.

SIue clericus, ſiue laicus ſit dominus, ad probandā nouam inueſtituram ſemper pares curiæ ſunt neceſſarij: & ſi ſine eis facta ſit inueſtitura, etiam ſi dominus confiteatur factam: quia tamen ſine hac ſolennitate facta eſt, non valet, etiam ſi probari poſſit per breue teſtatum. Sed ſi alij contra teſtantur, & ſi dominus confiteatur factam, decurrens poſtea ad ſolennitatem conſuetudinis, non audiatur: ſed tale habeatur ac ſi pares affuiſſent: ſed alij, etiam ſi probari poſſit per breue teſtatum, vt Obertus & Gerardus, niſi à paribus curiæ fuerit confirmatum. Conſules tamen Mediolanenſes nuper in quibuſdam omnia contra reſcripſerunt: in quo ferè omnes Mediolanenſes conſenſerunt & conſentiunt: vt breue teſtatum non à paribus, ſed ab aliis confirmatum ſufficiat ad probandam nouam inueſtituram. Nouam inueſtituram dico, quando feudum primo quæritur. De veteri autem beneficio inueſtituræ, quæ fit à domini ſucceſſore, vel vaſallo ſucceſſori: etiam extranei recipiuntur ad teſtimonium præter fœminas, ſecundum vſum Mediolanenſium. Iſtæ enim nec in cauſis feudi nec aliorum recipiuntur ad teſtimonium: cæteri autem recipiuntur in omnibus quæ ad cauſas feudi pertinent, præterquam, de noua inueſtitura.

DE CONSVETVDINE RECTI feudi.

TIT. XXXIII.

SCiendum eſt itaque feudum acquiri inueſtitura, ſucceſſione, vel eo quòd habeatur pro inueſtitura: vt ecce ſi dominus alicui coram paribus curiæ dixerit, Vade in poſſeſſionem illius fundi, & teneas illum pro feudo. Licèt enim non interceſſiſſet inueſtitura, tamen tale eſt ac ſi interceſſiſſet: quia ille eius voluntate poſſeſſionem fundi nactus eſt feudi nomine. Inde etiam dicitur, quod ſi alius probauerit ſe aliquid nomine beneficij aliquo tempore tenuiſſe domino præſente & non contradicentè, & ſeruitium eius quaſi à vaſallo recipiente: licèt non probet inueſtiturā, verūtamē obtinebit præſtito iuramēto: niſi aliud cōtra inducatur. Quod autē dictū eſt vt per pares probetur inueſtitura, intelligēdū eſt de eo domino qui alios habet vaſallos: cæterùm ſufficiunt extranei. Nec dicatur inueſtituram, vbi ſine paribus facta eſt, valere, quoniam tunc temporis aberant pares: quia etiam ſi abſint, tamen expectandi ſunt. Sacramentum non ſemper eſt dandum poſſidenti: ſed quandoque poſſidenti, quandoque petenti, quandoque neutri datur: & cùm alicui horum datur, ita demum datur, ſi aliquid pro eo ſit quod iudicem moueat. Vbi nihil eſt quod faciat pro aliquo eorum præter poſſeſſionem ſolam: tunc ſecundum quod iudici melius viſum fuerit, aut poſſidenti dabitur ſacramentū: aut actore nihil probante, qui cōuenitur, etiāſi nihil præſtiterit reus, tamē abſoluitur, vel obtinet. Et cùm datur: aut datur à iudice, aut à parte, ſi à parte, aut ſubeat cum duodecim ſacramentalibus, ſecundum inferiorem diſtinctionem, aut referat pars cui delatum eſt, cum duodecim vaſallis, cum ſex parentibus: cæteros ſi vult habeat extraneos. Dominus vero ſi vult, cum parentibus, aut cum vaſallis ſolis, aut cum parentibus vaſalli, vel cum extraneis mixtis parentibus vel vaſallis: & iurabit vaſallus ſine mentione conſcientiæ. Dominus quoque de ſuo facto ſimiliter. De facto vero patris, vel aui, aut alterius aſcendentis iuramento conſcientiâ præponetur. Quidam tamen dicunt non quidem conſcientiam eſſe præponendam.

1 ¶ In quibus etiam cauſis ſacramentum calumniæ à domino non exigetur: quod nuper rex Fridericus in Romandiola conſtituit: vt vaſallus calumniæ ſacramentum à domino non exigat: quod etiam à parte domini intelligendum eſt: vt quod quiſque iuris in alium ſtatuit, ipſe eodem iure vtatur.

1 2 ¶ Similiter vaſallus dominum accuſare, vel teſtimonium contra eum reddere non debet in ciuili cauſa modica aut criminali. Quidam tamen dicunt in criminali non licere, in ciuili licere: in quibus ſi contrà fecerit, feudo priuabitur.

2 ITem ſi inter dominum & vaſallum controuerſia ſit de beneficio: poſſidente domino, & vaſallo in probatione deficiente: qui conuenitur, nullo præſtito ſacramento abſoluatur, vaſallo vero poſſidente, & actore in probatione deficiente: ſi longa ſit vaſalli poſſeſſio, eius iuramento cauſa finiatur. Vbi vero noua eſt poſſeſſio: ſacramentum ei non præſtabitur, ſed domino deferetur: niſi aliud faciat pro poſſidente.

DE LEGE CORRADI.

TIT. XXXIIII.

LEx Corradi de beneficio quæ dicit: Si inter capitaneos controuerſia ſit, coram rege finiatur: ſi inter valuaſores, coram paribus curiæ. Mediolani non tenetur: ſed talis diſtinctio ibi obſeruatur, quia ſi inter duos, quicunque fuerint, de beneficio regali controuerſia fuerit, quorum vterque à rege ſe dicit inueſtitum fuiſſe, tunc cauſa coram eo decidatur, cæteræ vero cauſæ apud pares curiæ. Si autem inter pares duos de aliquo beneficio controuerſia ſit, quorum vterque ſuum feudum proprium eſſe dicat: ſiue aſſerant eundem inueſtitorem, ſiue diuerſos: coram iudice vel arbitro finiatur. Sed cùm vnus producunt inueſtitorem: ſi poſſidenti dominus guarentizare voluerit, ſine fraude ipſe obtinebit: niſi aduerſarius contra aliquid induxerit. 1 ¶ Ex eadē lege deſcendit, quod dominus ſine voluntate vaſalli feudum alienare non poteſt: quod Mediolani non obtinet. Ibi enim ſine curia etiam beneficium totū rectè alienatur: dum tamen aut æquali domino, aut maiori vendatur. Inferiori vero ſine vaſalli voluntate non licet partem alienare, etiam maiori retenta parte alia feudi Verbi gratia: eſt vaſallus qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet. Si partem feudi in vno loco vendat, in alio ſibi teneat: iſte non debet emptori ſeruire: ſed per priorem dominum totum beneficium recognoſcere. Cum curia vero cuicunque beneficium etiam ruſtico, & ſine vaſalli voluntate, poteſt dum tamen non totum alienetur. Obert. Quidam autem dicunt, vt Gerardus, non valere ſi fiat inferiori.

2 ¶ Similiter nec vaſallus feudum ſine voluntate domini alienabit: in feudum tamen rectè dabit, ſi ſecunda perſona ſit talis quæ feudo ſeruire poſſit: vt ſi dans miles eſt: & ille qui accepit feudum, inueniatur miles, ad hoc vt feudum ſi contigerit, domino ſimiliter ſeruire vt & prior poſſit: & hoc vt dare liceat in infinitum. In quibuſdam tamē curiis vltra tertiam perſonam feudi cōceſſio non extēditur: vt cum feudum peruenit in quartam perſonam

ei auferre dominus poſſit. Profectò ille qui ſuum beneficium alij dat in feudum, non debet alia lege dare, niſi qua ipſe habeat: vt ſi habeat ſibi ſuiſque heredibus, (quod intelligi debet de ſolis maſculis) non debet alij dare vt habeat ipſe, & ſui heredes maſculi & fœminæ. Vnde quibuſdam placet, quod qui taliter dedit, eo ipſo beneficium amittit. Gerardus & alij dicunt quòd qui dedit, & cui datum eſt beneficium, perdit. Secundum alios vero tunc domino aperitur, cùm maſculi defecerint.

SI fuerit inter dominum & vaſallum de beneficio controuerſia, domino dicente, Hoc quod tenes in feudum, à me habes: ille verò negauerit prorſus: ſi quidem probatum fuerit, ipſum ab eo auferatur. Sed cùm dubitanter reſponſum fuerit neſcio: minimè, ſecundum quoſdam: ſed ſecundum alios tunc demum priuabitur, ſi fraudulenter, id eſt, ſciens hoc negauerit.

## DE CLERICO QVI INVESTITURAM FACIT.

### TIT. XXXV.

CLerico inueſtituram faciente de ſuis bonis, eius ſucceſſor omnifariam cogitur eam adimplere. Cúmque de bonis eccleſiæ eam fecerit, ſi poſſeſſio rei pro beneficio inueſtituræ penes eum fuerit: ipſe & eius ſucceſſor ipſam adimpleant, quod etiam in laicis contingit. Vbi vero de alterius feudo fecerit inueſtituram: ſi quidem purè, non valeat: ſed ſi ſub tempore vel conditione quo feudum ſibi aperiatur, valebit inueſtitura etiam ſine voluntate vaſalli facta. Si tamen antè deceſſerit inueſtitor, quàm feudum ad eum reuertatur, ſucceſſor non cogitur eam habere ratam: aut cùm ſe viuente feudum apertum fuerit, poſſeſſionem tradat, & inueſtituram adimpleat. Et ideo ſciendum eſt archiepiſcopum Mediolanenſem non poſſe dare in feudum quod tempore introitus ſui in dominico inuenerit: ſed ſi ei poſtea feudum aperiatur, ipſum rectè dabit. Profectò alij epiſcopi & clerici ea quæ in dominico habent, & feuda his aperta olim dederant, & hodie dant.

## AN MVTVS VEL ALIAS IMPERFECTUS FEUDUM RETINEAT.

### TIT. XXXVI.

MVtus & ſurdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiam ſi ſic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus & Gerardus & multi alij. Quidam tamen dicunt eum qui talis natus eſt, feudum retinere non poſſe, quia ipſum ſeruire non valet. Sic dicimus in clerico, & in fœmina, & in ſimilibus.

## AN ILLE QVI INTERFECIT FRATREM DOMINI SUI, FEUDUM AMITTAT.

### TIT. XXXVII.

SI quis interfecerit fratrem domini ſui, non ideo beneficium amittit: ſed ſi fratrem ſuum interfecerit ad hoc, vt totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiſerit, verbi gratia, hominem tradendo, vt in curia amplius ſtare non poſſit: priuabitur beneficio: quia tamen ergo dominum nō fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit, ſi paternum fuerit: eodem prorſus obſeruando quantum ad ordinem gradus qui continetur in legibus. Cùm autem ad dominum reſpicit felonia, feudum tunc domino aperitur.

NOn cogitur vaſallus omnino, ſecundum vſum Mediolanenſem, dominum adire, & ſeruitium ei offerre: ſed cùm nunciatum ei fuerit, tunc domino ſi poteſt ſeruiat.

## DE VASALLO QVI CONTRA CONSTITUTIONEM LOTHARIJ REGIS BENEFICIUM ALIENAUIT.

### TIT. XXXVIII.

SI vaſallus contra conſtitutionem Lotharij regis beneficium alienauerit: ſi totum, perdat totum: ſi partem, partem perdat: & ad dominorum reuertatur. Et ideo ſi contra vnum dominum quorum communis vaſallus erat, fecerit feloniam, eū fortè cucurbitando: eius ſolius parte priuabitur, & ſi voluerit vnius ſolius partem refutare, aliis ſibi reſeruatis, hoc facere poterit: quia vaſallus etiam ſine domini voluntate rectè feudum, refutare poteſt: poſt refutationem tamen ad ſeruiendum non tenetur: ſed eum quidem tunc offendere non debet.

## DE ALIENATIONE PATERNI FEUDI.

### TITVLVS XXXIX.

ALienatio feudi paterni non valet etiam domini voluntate, niſi agnatis conſentientibus, ad quos beneficium quandoque ſit reuerſurum: nec in filiam vaſallus feudum poterit confirmare agnatis non conſentientibus, vel poſtea ratum non habentibus: & licèt prohibeatur beneficij alienatio inter agnatos, tamen ſi paternum fuit, concederetur: & ſi libellum vnus alteri fecerit de feudo paterno, non eſt libellus, ſed quaſi refutatio.

SI inter dominum & vaſallum de beneficio fuerit controuerſia: coram paribus finiatur. Vbi autem dicit vaſallus prius de ſuo recto feudo debere ſe à domino inueſtiri: ſi quidem ſine controuerſia de alio ſit vaſallus, indubitanter primo inueſtiendus eſt: & poſtea cognoſcendum eſt quòd ſit ſuū rectum feudum, aut quòd non. Sed ſi nihil aliud ab eo tenet pro beneficio, niſi de quo controuerſia eſt: tunc tota cauſa prius ventilanda eſt: & ſic videndum vtrum poſteà inueſtiendus ſit.

NOn eſt conſuetudo Mediolani, vt de felonia aut de infidelitate pugna fiat: licèt contrarium ſit, quod præcipit lex Longobardorum, vt de infidelitate pugna fiat.

SI à morte vaſallus dominum liberare potuerit, & non fecerit, beneficio carebit: ſed licet potuerit facere ne dominus in peccatum præcipitaretur, veluti periurium: non tamen feudo priuandus erit.

## DE CAPITVLIS CORRADI.

### TITVLVS XL.

HAec ſunt capitula quæ rex Corradus fecit in Romandiola de beneficiis. Conſtituit enim, vt ſi poſt mortem domini vaſallus, vel poſt mortem vaſalli heredes eius per annū & diem ſteterint quòd dominum vel heredem eius non adierint, fidelitatem pollicendo & inueſtituram petendo: ſi tale ſit beneficium vt fidelitas ſit præſtanda, ipſum perdat: ſicut & antiquitus conſuetudo fuit: ſed non Mediolani. Præterea vt liceat dominis omnes alienationes feudi factas, nulla obſtante præſcriptione, reuocare. Similiter in petendis hoſtenditiis (hoſtenditiæ dicuntur adiutorium quod faciunt dominis Romani cum rege in hoſtem pergentibus) vaſalli, qui cum eis non vadunt: verbi gratia, in Lombardia de modio xij. denarios: in Theutonica terra tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum ſolummodo eius anni quo hoſtem faciunt.

¶ Item ſi clericus, veluti epiſcopus, abbas, beneficium habens à rege datum non ſolummodo perſonæ, ſed eccleſiæ, ipſum propter ſuam culpam



culpam perdat: eo viuente, & eccleſiaſticum beneficium vel honorem habente, ad regem pertineat: poſt mortem verò eius ad ſucceſſorem eius reuertatur.

## DE CONTROVERSIA INTER MASCULUM & FŒMINAM DE BENEFICIO.

### TIT. XLI.

ITem ſciendum eſt, quòd ſi inter maſculum & fœminam controuerſia fuerit, maſculo dicente, hoc eſt feudum, fœmina negante: niſi apertis probationibus fœmina oſtenderit non eſſe feudum, creditur maſculo cum ſuo iuramento affirmanti cum duodecim ſacramentalibus. Sed ſi inter dominum & fœminam, domino dicente feudum, fœmina negante: probationibus deficientibus detur fœminæ ſacramentū.

Item ſi ſit inter dominum & emptorem feudi: ſi emptor dicat nō eſſe feudum, domino in probatione deficiente, ſacramento emptoris finiatur. Quidam tamen diſtinguunt: vt ſi magna eorum pars quæ vaſallus ibi tenebat, feudum ſit: detur domino ſacramentum, alibi fœminæ.

## DE CONTROVERSIA INTER DOMINUM & EMPTOREM FEUDI.

### TIT. XLII.

DOmino cum emptore feudi agente, ſi vaſallus iurare poterit, quod ignorans eſſe beneficium, vendidiſſet, credens proprium: electioni emptoris committitur, vtrum domino velit ipſum cedere, an vaſallo reſtituere. Obertus dicit omnia vaſallo reſtituenda.

Quo reſtituto ꝫ id beneficium vaſallus retinebit, non nocente nec obſtante venditione, eò quòd ignorans alienauit. & quod dicitur, alienatione feudum aperiri domino, intelligendum eſt, cùm à ſcientibus alienatur beneficium. Et quod dicitur de venditione, idem eſt in omnibus alienationibus.

## DE CONTROVERSIA INTER VASALLUM & ALIUM DE BENEFICIO.

### TIT. XLIII.

SI controuerſia inter vaſallum & alium de beneficio fuerit, aduerſario proprietatem totius, vel partem, vel aliud aliquod ius ſibi vindicante: cauſa per vaſallum, etiam domino abſente, quaſi propria ad finem perducatur, ipſe enim ſolus vtiliter agendi & excipiendi habet poteſtatem. & ſi pro eo, aut contra eum iudicatum fuerit, vel cum aduerſario tranſegerit, dummodo fraudulenter actum non ſit, etiamſi poſt beneficium domino aperiatur, tale erit ac ſi eo cauſam agente iudicatum fuiſſet: & ideo ab eo ratum haberi oportet.

## QVID IVRIS, SI POST ALIENATIONEM FEUDI VASALLUS ID RECUPERAUERIT.

### TIT. XLIIII.

PRæterea ſi vaſallus ante conſtitutionem Lotharij regis feudum alienauerit: quod in quibuſdam curiis pro parte, in quibuſdam pro toto olim licebat, & ipſum poſtea recuperabat: pro feudo ſibi retinebat, hoc eſt, in cauſam feudi recadebat. hodie autem ſi ipſum alienauerit, ſi quidem illicitè, licèt poſtea recuperauerit, tamen penes eum non remanebit: vtpote domino, ad quemcumque peruenerit, apertum. Profectò ſi domini voluntate vēdiderit, vel per libellum, vel aliter alienauerit: ſi idem poſt ea recuperauerit feudum, penes eum remanebit, non iure beneficij, ſed aut iure proprio, aut iure libelli, aut aliter: ſecundum quod idem recuperauerit: dummodo ſcias, quòd ſi ad libellum domini volūtate id dederit, ſi quidem pro libello ei datur ſingulis fortè annis, & hoc iure feudi cenſebitur. Illud verò ius, quod per libellum tranſtulerit, & poſtea recuperauerit: pro beneficio non tenebit, ſed velut alterius rei datæ per libellum, etiam ſi feudum domino refutauerit, libellum retinebit.

## AN AGNATVS VEL FILIVS (DEFUNCTI) POSSIT RETINERE FEUDUM REPUDIATA HEREDITATE.

### TIT. XLV.

SI contigerit vaſallum ſine omni prole decedere: agnatus ad quem vniuerſa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum, ſi paternum fuerit, retinere poterit: nec de debito hereditario aliquid feudi nomine ſoluere cogitur. ſed in fructibus ſi quos reliquit, vt de eis debitum ſoluatur, quo tempore deceſſerit (ſecundum quod ſuprà diximus) conſiderabitur. Vbi verò filium reliquit, ipſe non poteſt hereditatem ſine beneficio repudiare: ſed aut vtrumque retineat, aut vtrumque repudiet: quo repudiato, ad agnatos, ſi paternum ſit, pertinebit. & licèt alterum ſine altero retinere non poſſit, agnatis tamen conſentientibus poterit dominus eum, ſi voluerit, quaſi de nouo beneficio inueſtire: quo facto licebit ei repudiata hereditate feudum tenere, nullo onere ei hereditario imminente.

## AN APVD IVDICEM VEL CVRIAM DOMINI QUÆSTIO FEUDI DEBEAT TERMINARI.

### TIT. XLVI.

EX eo, quòd ſuprà diximus, vt ſi inter duos de beneficio fuerit controuerſia, coram iudice vel arbitro finiatur: talis hic fit quæſtio: Quodam ſine filio decedente, alius credens beneficium, quòd ipſe tenebat, apertum domino eſſe, ab eo inueſtitus eſt eius beneficij nomine, econtra apparent agnati qui feudum ſibi vindicant quaſi paternum. Eſt igitur quæſitum, an apud curiam domini vel iudicem ſit hæc quæſtio terminanda. Et reſponſum ſcio, quia ad dominum quodammodo cauſa ſpectare videtur, ad quem inueſtitus habebit regreſſum de euictione: vt coram paribus finiatur curtis, & licet alter per nō ſe poſſit alterum trahere ad curiæ iudicium: generaliter tamen, etiam ſi inter duos cauſa fuerit de beneficio, eos curia vocante, non licebit eorum alicui eius curiæ iudicium declinare.

## QVALITER DOMINVS PROPRIETATE FEUDI PRIUETUR.

### TIT. XLVII.

EX facto quæſitum ſcio, & ego à pluribus quæſiui, ſi dominus contra vaſallum apertam feloniā fecerit: an ſicut vaſallus feudum debet amittere, ità dominus proprietate priuetur? Et quidam dicunt, ex omni felonia, qua vaſallus feudo priuatur, & dominus proprietate priuetur. Alij non, niſi ex magna felonia: alij ex nulla. Sed prior ſententia mihi placet, non habita diſtinctione qualis vaſallus ſit, vtrum per ſacramentum, vel non.

## DE FEVDO NON HABENTE PROPRIAM FEUDI NATURAM.

### TIT. XLVIII.

SI quis ea lege alicui feudū dederit, vt ipſe & ſui heredes, & cui ipſe dederit, habeāt: Reſpōdeo, iſte, qui ſic accepit, poterit id vendere, vel donare: vel aliter, ſi ſibi placuerit, etiā ſine volūtate domini alienāre: & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipſum

pro feudo, niſi ſicut ei datum eſt. Sed qualitercunque ei datum fuerit, ſiue ac proprium, ſiue ad libellum ilicèt propriam feudi naturam non habeat, iure tamen feudi cenſebitur: vt ex his cauſis ipſum amittat, quibus & verum feudum. Vbi ergo ſic datum eſt feudum, & cui in feudum dederis, aliud eſt: & propriam feudi naturam habet.

## DE EO QVI FINEM FECIT agnato de feudo paterno.

### TIT. XLIX.

TRes erant agnati, vel peures: vnus eorum habebat feudum, quod erat paternum: ſed alter eorum finem & refutationem ei, ſuiſque heredibus, & cui ipſe dederit, fecit. deceſſit iſte ſine filio maſculo. Alter, qui non refutauit, vindicat ſibi totum. Alter verò, qui refutationem fecit, vult ad ſucceſſionem venire, pacto non obſtante. Sapientes quidam Mediolanenſes interrogati, reſponderunt non obſtare illud pactum, niſi feudum omnino refutauerit, vel niſi ad hoc refutauerit, vt dominus eum quaſi de nouo beneficio inueſtiret. Tunc enim ſecuta inueſtitura noua, quaſi nouum ſit feudum, non ſuccedit.

## DE NATVRA SVCCESſionis feudi.

### TIT. L.

SVcceſſionis feudi talis eſt natura, quòd aſcendentes non ſuccedunt: verbi gratia pater filio: inferius verò filius patri ſuccedit, & non filia, niſi ex pacto, vel niſi ſit fœmineum. Tunc enim ſuccedit filia matri & patri. ſecundum quoſdam ſuccedit nepos ex filio ſolus: & ſic vſque in infinitum: ex latere omnes per maſculos deſcendentes, vſque in infinitum, ſi feudum ſit paternum. Paternum autem voco, quicunque ex ſuperioribus id acquiſiuit: dummodo ſcias quòd ſi quis habens beneficium, quatuor ſuperſtitibus filiis decedat & feudum ad vnum ſolum ex diuiſione deueniat, & iſte ſuperſtitibus filiis duobus vel tribus decedat, qui patrueles dicuntur: & ad vnum eorum beneficium feudi ex diuiſione perueniat: & ſimiliter iſte ſuperſtitibus filiis decedat, qui patrueles dicuntur: ad quorum vnum feudum ſimiliter peruenit: ſicut etiam ex aliis ſuperioribus vel primis fratribus ſuperſunt maſculi: ſi ille qui feudum habet, deceſſerit nullo filio relicto: an ad omnes, vel ad quos perueniat, quæritur? Reſpondeo, ad ſolos & ad omnes, qui ex illa linea ſunt, ex qua iſte fuit. Et hoc eſt quod dicitur ad proximiores pertinere. Iſti verò proximiores eſſe dicuntur reſpectu aliarum linearum, ſed omnibus ex hac linea deficientibus, omnes aliæ lineæ æqualiter vocantur.

## DE CAPITANEO QVI CVRIAM vendidit, an intelligatur beneficium vendidiſſe.

### TIT. LI.

QVidam capitaneus in quadam curte ſua beneficium dedit militibus, & poſtea eandem curiam vendidit, non habita mentione beñcij. Controuerſia eſt inter capitaneum & emptorem, dicente emptore ſe curiam cum beneficio emiſſe: domino verò contrà dicente, ad eum beneficium non pertinere. Reſpondetur, illud beneficium non contineri, niſi expreſſè de eo actum ſit.

QVæſitum eſſe apud me ſcio: ſi filius viuente patre dominum offenderit, ita quod feudum amitteret, ſi pater deceſſiſſet: vtrum feudum amittat, vel non? ſecundum iſtos ſic, ſecundum Gerardum non, & Obertum ſimiliter.

SI voluerit vaſallus dominum offendere, ſed non laborauerit: feudum non amittit. Gerardus & Obertus ſimiliter etiam ſi laborauerit, non amittit feudum, niſi inſidiatus ei fuerit, & hoc probatum fuerit.

SImiliter ſi quis inueſtitus fuerit de feudo, ita vt ad fœminas tranſiret, & duas filias tantum requirit, quarum vna filium habeat, & altera filiam: vtrum poſt mortem illarum maſculus tantum feudum habere debeat: ſecundum Gerardum maſculus tantum. Obertus contrà, & econtrà ſi filios ille habuerit.

FIlius non poteſt recuſare hereditatem patris abſque feudo, propinquus autem poteſt.

SI contentio fuerit inter filiam & propinquum de hereditate & de feudo: cùm filia feudũ habere nõ poterat, quia dicat ipſa, hoc eſt de mea hereditate, & ille dicat, imò de feudo: electio propinqui erit diſcernere veritatẽ iureiurãdo. Gerardus & Obertus. Et ſimiliter ſi contentio fuerit inter aliquem, qui emiſſet à ſeniore, & vaſallum, quia dicat, vaſallus, hoc eſt de feudo meo: ille autem neget: electio emptoris eſt veritatem iureiurando diſcernere, cùm pares curtis veritatem non teſtantur. Gerardus & Obertus.

SImiliter, feudum lege commiſſoria datum non valet, id eſt, ſi ad certum tempus pecunia non ſoluatur creditori, vt habeat in feudum. Gerardus & ſecundum Obertum valet.

SImiliter poteſt feudum dari ad certum ſeruitium Gerardus & Obertus.

## DE PROHIBITA FEVDI ALIENAtione per Lotharium.

### TIT. LII.

*Lotharius diuina fauente clementia III. Imperator Romanorum, Pius, felix, inclytus, ac triumphator, ſemper Auguſtus, vniuerſo populo.*

IMperialis beneuolentiæ proprium eſſe iudicamus, commoda ſubiectorum inueſtigare, & eorum calamitatibus diligenti cura mederi: ſimiliter reip. bonum ſtatum, ac dignitatem imperij omnibus priuatis commodis præponere. Quocirca omnium fidelium noſtrorum tam futurorum quàm præſentium nouerit vniuerſitas, qualiter dum apud Ronchalias ſecundum antiquorum imperatorum conſuetudinẽ pro iuſtitia ac pace regni componenda conſideremus omnia quæ ad honorem imperij Romani ſpectare videntur, ſolicitè indagantes, perniciosiſſimam peſtem & reipub. non mediocre detrimentum inferentem reſecare propoſuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas comperimus milites ſua beneficia paſſim diſtrahere: ac ita omnibus exhauſtis, ſuorũ ſeniorum ſeruitia ſubterfugere: per quod vires imperij maximè attenuatas cognouimus, dum proceres noſtri milites ſuos omnibus beneficiis ſuis exutos ad fœliciſſ. noſtri numinis expeditionem nullo modo tranſducere valeant. Hortatu itaque & conſilio archiepiſcoporum, epiſcoporum, ducum, comitum, marchionum, palatinorum, cæterorúmque nobilium ſimiliter etiam iudicum hac edictali lege in omne æuum Deo propitio valitura decernimus, nemini licerè beneficia quæ à ſuis ſenioribus habent, ſine ipſorum permiſſione diſtrahere, vel aliquod commercium aduerſus tenorem noſtræ conſtitutionis excogitare, per quod imperij vel dominorum minuatur vtilitas.

Si quis verò contra hæc noſtræ legis ſaluberrimæ præcepta ad huiuſmodi illicitum commercium acceſſerit, vel aliquid in fraudem huius legis machinari tentauerit: pretio ac beneficio ſe cariturum agnoſcat. Notarium verò qui ſuper hoc tali contractu libellum vel aliud inſtrumentum conſcripſerit: poſt amiſſionem officij ipſum



ipſum infamiæ periculum ſuſtinere ſancimus. Dat. VII. die menſis Nouemb. M.CXXXVI.

*Imperator Lotharius Auguſtus vniuerſo populo.*

SAtis bene diſpoſitum ad vtilitatem regni, & ad perniciosam peſtem deſtruendam, in ſcriptis inſerere curauimus. Quidam miles bina beneficia à duobus dominis, prout ſolitum eſt, acquiſiuit: qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter ſe diuidentes, alter eorum domino ſuo pro beneficio quod ad eum peruenit fidelitatem nullo antepoſito ſicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater pro ſuo beneficio alteri domino ſuo ſimiliter, quia nullum alium dominum habere videbatur, nullo antepoſito fidelitatem fecit. Defuncto poſteriore fratre ſine filiis, vtique feudum in querimoniam venit: vt prius perſonam, & ſic dominus poſterior talem fidelitatem quærit qualem eius frater fecerat. Quas amputantes altercationes, ſancimus, quod frater fecit (ſcilicet in dando ſimpliciter) nil ſuperſtiti obeſſe: licet in ſecundam & tertiam generationem, & vſque in infinitum peruenit, ſi hoc actum erit.

*Imperator Lotharius Auguſtus, &c. Eugenio Papa, & vniuerſo populo.*

QVoniam inter dominum & vaſallum nulla fraus nec vllum malum ingenium debet interuenire, idcirco per hanc præſentem legem ſancimus, ſi vaſallus non doloſè per annum & diem ſteterit quod à domino ſui beneficij inueſtituram non petierit: feudum non ob hoc amittat. dolus enim abeſſe videtur, ſi iuſta cauſa impediente ſteterit. Datum ſexto Kalendas Septemb. anno à natiuitate Domini M.CXXVII. indictione V.

## DE PACE TENENDA INTER SVBditos, & iuramento firmanda & vindicanda: & de pœna iudicibus appoſita, qui eam vindicare, & iuſtitiam facere neglexerint.

### TIT. LIII.

*Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Vniuerſis ſubiectis ſuo imperio, Salutem.*

HAc edictali lege in perpetuum valitura, iubemus, vt omnes noſtro ſubiecti imperio, veram & perpetuam pacem inter ſe obſeruent: & vt inuiolata inter omnes perpetuo obſeruetur, duces, marchiones, comites, capitanei, valuaſores, & omniũ locorũ rectores, cum omnibus locorum primatibus & plebeis, à decimooctauo anno vſque ad ſeptuageſimum, obſtringantur iuramento, vt pacem teneant, & rectores locorum adiuuent in pace tenenda atque vindicanda: & in fine vniuſcuiuſque quinquennij de prædicta pace tenenda omnium ſacramenta renouentur. Si quis verò aliquod ius de quacumque re vel facto contra aliquem ſe habere putauerit, iudicialem adeat poteſtatem, & per eam ius ſibi competens exequatur. Si quis verò auſu temerario prædictam pacem violare præſumpſerit: ſi ciuis eſt, pœna centũ librarũ auri cameræ noſtræ inferẽda puniatur: oppidum vero triginta libris auri mulctetur: duces autem, marchiones, & comites quinquaginta auri libras præſtent: capitanei quoque & maiores valuaſores viginti auri libris puniantur: minores verò valuaſores, & omnes alij prædictæ pacis violatores tres libras auri inferre cogantur, & damnum paſſo ſecundum leges reſarciant. Iniuria ſeu furtum legitimè puniatur.

1 ¶ Homicidium quoque & membrorum diminutio, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur. Iudices vero & locorum defenſores, vel quicunque magiſtratus ab Imperatore, vel eius voluntate conſtituti ſeu confirmati, qui iuſtitiã facere neglexerint, & pacem violatam vindicare legitimè ſuperſederint: damnum omne iniuriam paſſo reſarcire compellãtur: & inſuper ſi maior iudex eſt, ſacro ærario pœnam decem librarum auri præſtet, minor autem pœna triũ librarũ auri multetur. Qui verò ad prædictam pœnam perſoluendam inopia dignoſcitur laborare, corporis ſui correctionem cum verberibus patiatur: & procul ab eo loco quem inhabitat, quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat.

Conuenticula quoque in ciuitatibus, omnéſque coniurationes, & extra, etiam occaſione parentelæ & inter ciuitatem, & ciuitatem, & inter perſonam & perſonam, ſiue inter ciuitatem & perſonam modis omnibus fieri prohibemus: & inter præteritum factas caſſamus, ſingulis coniuratorum pœna vnius libræ auri puniendis. Epiſcopos verò locorum eccleſiaſtica cenſura violatores huius ſanctionis, donec ad ſatisfactionem veniant, volumus coercere. Receptatoribus etiam malefactorum, qui prædictam pacem violauerint, & prædam ementibus, noſtram indignationem ſubituris, & eiſdem pœnis feriendis. prætereà bona eius publicentur: & domus eius deſtruatur. Qui pacem iurare & tenere noluerit, beneficio & lege pacis non fruatur. Illicitas etiam exactiones, maximè ab eccleſiis, (quarum abuſus iam per longa tempora inoleuit) per ciuitates & caſtella omnino condemnamus & prohibemus: & ſi factæ fuerint, in duplum reddantur.

Item ſacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractãdis, inuiolabiliter cuſtodiantur. Per vim autem & iuſtum metum etiam à maioribus (maximè ne querimoniam maleficiorum commiſſorum faciant) extorta, nullius eſſe momenti iubemus.

## DE ALLODIIS.

### TIT. LIIII.

AD hoc qui allodium ſuum vendiderit, diſtrictũ & iuriſdictionem imperatoris vendere non præſumat: & ſi fiat, non valeat. Si vero contigerit allodium aliquot etiam in feudatum conferri eccleſiæ, vel pro oblatione fidelium, vel per emptionis & venditionis, alteriusve huiuſmodi contractum: infeudatus niſi per gratiam eccleſiæ tanquam de nouo rece[illegible] erit, feudum quod habebat, retinere non poterit. Vt autem æquitas quę in paribus cauſis paria iura deſiderat, per vniuerſitatem totius imperij ſeruetur: firmiter ſtatuimus tam in Italia quàm in Alemania, vt quicunque indicta publica expeditione Romam, ad ſuſcipiendam imperij coronam, regem, aut ſub rege dominum ſuum non adiuuerit, aut eundo cum ipſo, aut pro quantitate feudi ſtipendia militiæ perſoluendo, ſi de vocatione legitima à domino ſuo conuinci per compares ſuos poterit, feudum perdat & dominus in ſuos vſus illud habeat redigendi liberam facultatem.

## DE PROHIBITA FEVDI ALIEnatione per Fridericum.

### TIT. LV.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.

IMperialem decet ſolertiam ita reipublicæ curam gerere, & ſubiectorum commoda inueſtigare, vt regni vtilitas incorrupta perſiſtat, & ſingulorũ ſtatus iugiter ſeruetur illæſus. Quapropter dum ex prædeceſſorum noſtrorum more vniuerſalis curiæ Ronchaliæ pro tribunali ſederemus, à principibus Italicis, tam rectoribus eccleſiarum, quàm aliis fidelibus regni, non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorũ & feuda quę vaſalli ab eis retinebãt, ſine dominorum licentia pignori obligauerant, & quadam colluſione nomine libelli vendiderã, vnde

debita ſeruitia amittebant: & honor imperij, & noſtræ felicis expeditionis complementum minuebatur. Habito ergo conſilio epiſcoporum, ducum, marchionum, & comitum, ſimul etiam & palatinorum iudicum, & aliorum procerum, hac edictali Deo propitio perpetuò valitura lege ſancimus, vt nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocumque modo diſtrahere ſeu alienare, vel pro anima iudicare, ſine permiſſione illius domini ad quem feudum ſpectare dignoſcitur. Vnde Imperator Lotharius tantùm in futurum præcauens ne fieret, legem promulgauit. Nos autem ad pleniorem regni vtilitatem prouidentes, non ſolum in poſterum, ſed etiam huiuſmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas, hac præſenti ſanctione caſſamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præſcriptione impediente: quia quod ab initio de iure non valuit, tractu temporis conualeſcere non debet: emptori bonæ fidei ex empto actione de pretio contra venditorem competente. Callidis inſuper machinationibus quorundam obuiantes, qui pretio accepto, quaſi ſub colore inueſtituræ, quam ſibi licere dicunt, feudum vendunt, & in alios transferunt: ne tale figmentum vel aliud vlterius in fraudem huius noſtræ conſtitutionis excogitetur, modis omnibus prohibemus: pœna authoritate noſtra imminente, vt venditor & emptor qui tam illicitas alienationes reperti fuerint contraxiſſe, feudum amittant: & ad dominum liberè reuertatur. Scriba verò qui hoc inſtrumentum ſciens conſcripſerit, poſt amiſſionem officij, cum infamiæ periculo manum amittat. Præterea ſi quis infeudatus maior quatuordecim annis ſua incuria vel negligentia per annum & diem ſteterit quod feudi inueſtituram à proprio domino non petierit: tranſacto hoc ſpatio feudum amittat, & feudum ad dominum redeat.

1 ¶ Firmiter etiam ſtatuimus, tam in Italia, quàm in Alemania, vt quicumque indicta publica expeditione vocatus à domino ſuo, in eadem expeditione ſpatio competenti temerè venire ſuperſederit, vel alium pro ſe domino acceptabilem mittere contempſerit, vel dimidium reditus feudi vnius anni domino non ſubminiſtrauerit: feudum quod ab Epiſcopo, vel alio domino habuit, amittat: & dominus feudi in vſus ſuos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem. Præterea ducatus, marchia, comitatus, de cætero non diuidatur: aliud autem feudum, ſi conſortes voluerint, diuidatur: ita vt omnes qui partem feudi habent iam diuiſi, vel diuidendis fidelitatem faciant: ita tamen, vt vaſallus pro vno feudo plures dominos habere non compellatur: nec dominus feudum ſine voluntate vaſalli ad alium transferat.

2 ¶ Inſuper ſi filius vaſalli dominum offenderit, pater à domino requiſitus deducat filium ad ſatisfaciendum domino: vel à ſe filium ſeparet: alioqui feudo priuetur. Si autem pater vult eum deducere vt ſatisfaciat, & filius contemnit: patre mortuo in feudum non ſuccedit: niſi prius ſatisfecerit domino. Parique modo vaſſallus pro omnibus ſuis domeſticis faciat. Illud quoq. præcipimus, vt ſi vaſallus de feudo ſuo alium vaſallũ habuerit: & vaſallus vaſalli dominum domini ſui offenderit, niſi pro ſeruitio alterius domini ſui hoc fecerit, quem ſine fraude ante habuerit, feudo ſuo priuetur: & ad dominum ſuum à quo ipſe tenebat, reuertatur: niſi requiſitus ab eo, paratus fuerit ſatisfacere maiori domino quem offenderit, & niſi vaſallus idémque dominus à domino ſuo requiſitus, eum qui maiorem dominum offenderit, requirat vt ſatisfaciat, ſuum feudum amittit. Præterea ſi inter duos vaſallos de feudo ſit controuerſia, domini ſit cognitio, & per eum controuerſia terminetur. Si verò inter dominum & vaſallum lis oriatur, per pares curiæ à domino ſub fidelitatis debito coniuratos terminetur. Illud quoque ſancimus, vt in omni ſacramento fidelitatis imperator nominatim excipiatur.

## QVAE SINT REGALIAE.

### TIT. LVI.

*Imperator Fridericus.*

REgaliæ, armandiæ, viæ publicæ, flumina nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, portus, riparica, vectigalia, quæ vulgo dicuntur, telonia, monetæ, multarum pœnarúmque compendia, bona vacantia, & quæ vt ab indignis, legibus auferũtur, niſi quæ ſpecialiter quibuſdam conceduntur, & bona contrahentium inceſtas nuptias, condemnatorum, & proſcriptorum, ſecundum quod in nouis conſtitutionibus cauetur, angariarum, parangariarum, & plauſtrorum, & nauium præſtationes, & extraordinaria collatio ad feliciſsimam regalis numinis expeditionem, poteſtas conſtituendorum magiſtratuum ad iuſtitiam expediendam: argentariæ & palatia in ciuitatibus conſuetis: piſcationum reditus & ſalinarum, & bona committentium crimen maieſtatis, & dimidium theſauri in loco Cæſaris inuenti, non data opera, vel loco religioſo: ſi data opera, totum ad eum pertineat.

## QVOT TESTES SVNT NECESSArij ad probandam feudi ingratitudinem.

### TIT. LVII.

*Imperator Henricus Auguſtus Vniuerſo populo, &c.*

SI vaſallus inhoneſtis factis atque indecentibus machinationibus dominum ſuum offenderit, inſidiiſque eum clandeſtinis vel manifeſtis appetiuerit, vel inimicis eius ſuas amicitias copulauerit, atque in aliis ſic verſatus eſt, vt potius inimicus quàm fidelis eſſe credatur, vel ſi cum eo cucurbitauerit, ſeu in campeſtri bello ſuum dominum reliquerit: feudo priuabitur. Quod non obtinere ſancimus, niſi quinque teſtibus ſummæ atque integræ opinionis probatũ fuerit manifeſtè. Dat. viij. Idus Auguſti. feliciter.

## DE NOTIS FEVDORVM.

### TIT. LVIII.

NOtandũ eſt in feudo quod de cauena ſeu camera dicitur, non debere dari niſi cùm ſit in camera, vel cauena, vnde ſolui poſſit: vel ſi ita euacuata ſit cauena ſine culpa promiſſoris, expectãdũ eſt donec iterum de cauena vel de camera dari poſſit. Dominum autem feudi dare poſſe intelligitur, omni ære alieno deducto. Non enim æquum eſt quem videre egentem, quam prius habuit in coniugem, (vel amicum.)

QVod autem pares tantum debeant intereſſe inueſtituræ feudi, & non alij: hoc tunc verum eſt, cũ dominus vaſallos alios habuerit. Alioqui adhibeat dominus quos meliores poterit, liberos tamen: argumentatione legis de vltimis voluntatibus, in Lombarda ſcilicet illa quæ dicit, Si quis donationem facere voluerit de ſuis rebus alicui, vel inueſtituram: adhibeat ſibi de parentibus ſuis (& per eandem legem iurant) duos teſtes idoneos, vel tres, vel plures. Pluralis enim locutio, duorum numero contenta eſt.

ITem ſciendum eſt non eſſe impedimentum inueſtituræ, etſi inueſtituram faciat de re quam communem dominus habeat cum aliquo: quia ſi ſponte diuidere noluerit ille cũ quo habet rem communẽ, qui inueſtiuit: poteſt cogere per iudicem ille qui inueſtitus eſt, vt diuidat. Item heredes eius neceſſe habent tenere firmam inueſtituram quam pater fecit. Item eadem lege & eodem iure debet habere rem iſte



rem iſte qui inueſtitus eſt, quam haberet qui eum inueſtiuit, cum coherede ſuo, ſcilicet vt adæquatio percurrat vſque ad quadraginta annos. Item inueſtitura per ſe, vel per ſuum nuncium dari & accipi poteſt. quæ omnia ſupradicta colligi poſſunt per ſupradictas ll. Longobar. titulo de vltimis voluntatibus. l. ſi quis. & C. communi diuidundo l. j. & ij. (Idcirco pares neceſſarij ſunt in inſtrumento inueſtituræ, & non alij: ne quid excogitetur falſitatis in perniciem domini, aliis teſtibus inductis, corruptis fortè pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non ſunt ſuſpicanda in paribus.)

SI inſtrumentum diceretur falſum à domino: daretur defenſio vaſallo qui inſtrumentum ad ſe deferret: vt in Lombar. qualiter quis ſe defen. d. l. de chartis. & auferetur domino, qui veritatem nouerit. & iniquum erit ſi aliquis ex dono ſuo conueniatur. Domini eſt defenſio ex ordine, cùm vaſallus non poſsideat. Notandum eſt quòd de omni controuerſia quæ inter dominum & vaſallum oritur, ſi pares veritatem nouerint, omnino cogi debere à domino, & paribus dicere veritatem. qui ſi dicant ſe neſcire, cùm ſciant, & vaſallus poſtulet: dominus eos coget iurare, & veritatem dicere: vt C. de teſtibus. l. ſi quando. & in Lombar. vt iudex vanus &c & in titulo qualiter quis ſe defen. l. ſi qualiſcumque cauſa, & tit. de teſtibus. vt quicumque. & l. vlt.

CVm datur domino defenſio de inueſtitura, quæ dicitur eſſe facta, iurare debet ſe inueſtituram non feciſſe. Cùm verò datur ſucceſſori eius, iurare debet ſe non credere inueſtituram factam eſſe ab anteceſſore ſuo. Si qua inueſtitura facta eſſe dicetur, ſemper debet nominare dominum à quo inueſtitura facta dicitur: cùm multum diſcrepet ſacramentum hereditarium à principali ſacramento. C. de rebus cred. & iureiurando l iij. & l. generaliter. & vt habes de tutore qui iurat quod credit. & exiſtimat: vt C. de iura. calum. l. ij. de conſcientia enim ſua iurare debet, & non de alieno facto (cum iniquũ ſit aliquem iurare de alieno facto) heres vel ſucceſſor, nec etiam filius: vt D. rerum amotarum. l. Marcellus. ſed contrarium reperitur in Lombar. quia licèt filius minorem virtutem habeat quàm pater, tamen debet præciſè iurare patrem ſuum non fuiſſe debitorem: vt in Lombar. qualiter quis ſe defendere debet. l. ſi contigerit.

*Hic eſt finis feudorum in editione vulgata. Sequuntur fragmenta ſiue extraordinarii capitula, quæ doctiſſimus Cuiacius reſtituit ex Ardizone & Aluarot[o] vſque ad finem libri quarti. Ac deinde liber v. ab eodem Cuiacio confectus ex variis Imperatorum diuerſorum feudalibus conſtitutionibus.*

## DE ALIENATIONE FEVDI.

### TIT. LXXIII.

SVmmopere mandare curamus, vt ſi quis aliquem de beneficio inueſtiuerit, quod ille qui inueſtitus fuerit, non poteſt per proprium vendere, nec pro leuiſsima re locare, nec infeudare, niſi maiorem partem apud ſe retinuerit: & ſi in deſperatione filiorum fuerit, nulla ratione, nec quolibet modo dare poteſt. Quæ omnia ſi facta fuerint, nullius momenti erunt: & eo defuncto, omnia ad priorem dominum reuertuntur, & ſi dominus conqueſtus fuerit paribus, pares auditis rationibus intra anni ſpacium expedire faciant, vaſallo non faciente ſatiſdationem, domino dent poſſeſsionem, ſaluis ſuis rationibus niſi diffinitiuam promeruerint ſententiam.

## DE FEVDIS SCVTIFERORVM.

### TIT. LXXIIII.

FEuda ſcutiferorum, vt adhibitum dominorum poſsint adimi, rationis non eſt, dum tamen ſeruiant ſecundum laudationem curiæ.

## DE CONDITIONE FEVDI non impleta.

### TIT. LXXV.

VT inter conditionalia, & non conditionalia aliqua ſit differentia, dicimus, quod ſi quis alicui dederit beneficium conditionale (vtpote quæ dantur propter habitationem) deſerta habitatione beneficium amittetur. & etiam cum certo conſtituuntur ſeruitio, non dato ſeruitio non poterit retinere beneficium.

## DE FIDELITATE.

### TIT. LXXVI.

QVoniam de fidelitate mentionem fecimus, ſuper ea aliquid ſummatim deſpiciamus. Si beneficium eſt ſine fidelitate, & vaſallus aliquid, quod ſit contra ſuum dominum fecerit, amittat beneficium laudatione parium: hoc idem dicimus in iis, qui fidelitatem iurant. Si cui militi fidelitas requiſita fuerit à domino, dominus ſecundum quoſdam librum militi oſtendere debet, & miles eam facere debet vel parium laudationi ſtare intra annum: quod niſi factum fuerit, miles ſecundum quoſdam de beneficio damnari poteſt, quod contra præceptum domini Lotharii regis Papiæ datum videtur. Librum autem quod vaſallo oſtendi ſoleat, non neceſsitate fieri, ſed voluntate. Eſt enim quoddam ſignum requiſitæ fidelitatis memoriæ cauſſa. Et venit aliquando vt vaſallus dicat domino ſe facturum fidelitatem, quam pares laudauerunt. tunc non perdit beneficium, ſi ſtat per dominum, quod faciat curiam. Qui fidelitatem iurant, ſi voluntate vtrorumque ſeparatio facta fuerit, fidelitas finitur: ſi ſua voluntate vaſallus vel iudicio parium feudum dimiſit, fidelitas durat.

## SI PLVRES SINT DOMINI VEL vaſalli, an plures fidelitates vel ſeruitia debeantur.

### TIT. LXXVII.

CVm plures fratres vaſalli paternum habent beneficium, donec illud indiuiſum poſsident, vna fidelitas, & vnum ſeruitium domino fieri debet. Si vero partitum fuerit, quot partes, tot erunt fidelitates. Seruitia vero non pro partibus, vt vnum primum, videlicet grauiora, ſed pro quantitate beneficij moderanda. Plures autem domini, etſi feudum inter ſe diuidant, nullo modo niſi vnam fidelitatem ex feudo habere poterunt. Seruitium vero omnibus non grauitate, ſed moderamine faciendũ eſt

## CVLPAM VNIVS EX COHEREdibus cæteris non præiudicare.

### TIT. LXXVIII.

CVm feudum hereditarium vni ex coheredibus propria culpa auferetur à paribus per iudicium, cæteris non præiudicat. Hoc autem ita intelligitur, vt viuo eo, vel ſuis heredibus feudum ad cæteros venire non intelligatur.

## VT RATIO VASALLI PRIVSquam domini diſcutiatur.

### TIT. LXXIX.

SI contentio fuerit inter dominum & vaſallum, & dominus habuerit aliquam rationem contra vaſallum, & vaſallus contra dominum, vaſalli ratio prius diſcutiatur: quoniam pares maiorem iuriſdictionem habent de ſuo pari, quàm de ſuo domino.

## DE EVICTIONE.

### TIT. LXXX.

GEneraliter verum eſt in feudis dominos de euictionibus teneri. at ſi quis ſciens inueſtituram alterius beneficij acquiſierit, eo euicto nullã aduerſus dominum vaſallum actionem habere dicimus: quoniam in acquirẽdo malã habuit fidem.

DE FEVDIS IMPROPRIIS QVAE auferuntur dantis arbitrio.

TIT. LXXXI.

VNum quidem non minus vtile, ſed ſatis congruum ſuperioribus aduerti, & ex comprobato vſu in ſcriptis bono arbitrio reducere procuraui. Si quis igitur pro vice dominicaria vel villicaria, vt dicam, pro decania, vel aliis quibuſcunque angariis feudum quod improprium eſt, acceperit, niſi ſpecialiter hoc actum ſit inter contrahentes, id eſt, nominatim feudum cum honore feudi, & ita, vt non liceat domino auferre quod datum fuerit, etiamſi adminiſtratio illa auferatur: quod datum penitus ablata adminiſtratione ſine omni obſtaculo auferre liceat. Si autem quod ſuperius dictum eſt, probare conetur, & quodammodo poſſidere vaſallum à quibuſdam credatur, non iureiurando decidi oportet, ſed teſtibus vel inſtrumento aliiſue legitimis probationibus cauſſa firmiter approbetur.

PRIVS POSSESSIONEM RESTItuendam eſſe quàm de principali cauſa agatur,

TIT. LXXXII.

SI qua contentio de beneficio inter aliquot (prout ſæpe fieri ſolet) orta fuerit, ſi vnus dominus vel loco domini habeatur, & alter vaſallus vel loco vaſalli habeatur: ſi per pares ſecundum vſum regni iudicium ventiletur, primo de ſuo recto beneficio inueſtiri debet, & ſi poſſeſſio aliqua perturbata fuerit, modò reſtitui debet.

SI VNVS EX FRATRIBVS DEDErit ſuam partem fratri, vel domino, vel extraneo.

Tit. LXXXIII.

SI alter ex fratribus qui paternum habeat beneficium, ſuã portionem dederit domino vel alicui extraneo: dominus vel extraneus tamdiu teneat ſine præiudicio quandiu ille, qui dedit, heredem maſculum habuerit: ſi vero ſine herede deceſſerit, alter frater ſi vixerit, vel eius heres ſine vllo obſtaculo & temporis præſcriptione beneficium, quod hereditarium eſt, vindicet à quocunque poſſidente. Hoc idem dicimus, & ſi fratres fuerint, & alter ab altero ex fratribus acquiſierit: hoc enim veriſſimum ex vſu comprobato didicimus,

PATREM IN FEVDO FILII NON ſuccedere.

Tit. LXXXIIII.

QVoddam vſui traditum recordationis cauſſa in ſcriptis ponere procuraui. Si quis igitur habẽs filium, ipſum per dominum inueſtire fecerit, niſi nominatim cum domino pactus fuerit, vt ſi filius deceſſerit ante patrem, quod feudum ad patrem reuertatur: dicitur defuncto ante patrem filio, patrẽ carere beneficio, & domino acquiri beneficium.

DE INVESTITVRA FACTA MArito vel vtrique coniugi.

Tit. LXXXV.

SI maritus de feudo ſuæ vxoris inueſtiatur ea abſente, niſi nominatim quaſi gerendo vxoris negotium inueſtiatur, ſibi acquirit feudum ea ſciente vel iubente. Si vero vterque in ſimul inueſtiatur, pro parte ſibi proficiunt: niſi cum iam dicta diſtinctione factum fuerit: & dicimus etiam, vt ſi vnus ante alterum ſine herede deceſſerit, quod alterius pars domino adquiratur.

DE FRVCTIBVS FEVDI.

Tit. LXXXVI.

VNum quidem ſatis vſitatum dicimus, quod ſi aliquis deceſſerit nullo in feudo relicto herede, ius feudi ad dominum pertinere dicimus: Fruges autem extantes non ad dominum, ſed ad filias ipſius vaſalli, vel etiam ad vxorem eius pertinere: & hac ratione creditor eas retinere poteſt, licet pignus habere non poſſit: & hoc cum diſtinctione Imperalium Conſtitutionum.

AN PRAESCRIPTIONE feudum adquiratur.

Tit. LXXXVII.

IN beneficiis vt in cæteris contractibus, præſcriptiones currere ſatis humanum, & rationi congruum videtur Si quis ergo feudum alienum bona fide ab aliquo iuſta traditione acceperit, licet dominus non ſit, cum verus dominus traditione putetur, longi temporis præſcriptione ius ſibi acquirit. Si vero malam fidem habuerit, nulla ſe poterit tueri præſcriptione, nec etiam de euictione agere poterit.

DE PROBATIONE INueſtituræ.

Tit. LXXXVIII.

DE ingreſſu curiæ à quibuſdam varia ac diuerſa putantur. nos autem, quod ſæpius ac rationabiliter in multis curiis & ciuitatibus intelleximus, in ſcriptis bonæ recordationis cauſſa inferre procurauimus. Quicunque igitur beneficium per inueſtituram acquiſierit ſine poſſeſſionis traditione, pares ad inueſtituram habeat, vt pro ipſo veritas diſcernatur, cum controuerſia inde fuerit. Sane ſi poſſidet, aliis quibuſdam adiuuetur adminiculis. Verumtamen quia milites inopes vaſalli ſunt, per teſtes vel per breue teſtatum probatio ſatis competens eſſe dignoſcitur.

CONDITIONEM TACITE feudum ſequi.

Tit. LXXXIX.

BEneficia conditionalia, quæ in maioribus curiis à veteri tempore eſſe noſcuntur: vtpote patriarcharum, Archiepiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, Ducum, Marchionum, Comitum, Capitaneorum, ſiue etiam maiorum valuaſorum, ſi duobus tribus, vel deinceps aliis dantur vaſallis, tacitæ conditiones eos ſequuntur, niſi nominatim in ipſis traditionibus ipſæ conditiones excipiantur. Hoc idem etiam de his conditionibus, quæ nouiter conſtituuntur ad harum ſimilitudinem veriſſimum fore ſapientibus placet.

FRATREM FRATRI IN FEVDO NOuo non ſuccedere.

Tit. XC.

SI duo fratres in heredes maſculos & fœminas de beneficio inueſtituram acceperint, altero decedẽte filia relicta, neptem cum patruo ad feudum venire dicimus: eum vnuſquiſque fratrum ſuæ ſoboli bene conſuluit. Si enim frater ſuus ſine vlla progenie deceſſerit, feudum non ad ſuperſtitem, ſed ad dominum perueniet: niſi pactum de ſucceſſione factum foret.

DE INVESTITVRA VETERIS ET noui beneficij.

TIT. XCI.



BEneficium intelligitur de veteri & & nouo: & cùm de veteri ſit inueſtitura, ſatis ſit ſi de recto beneficio fiat inueſtitura. Hæc autem inueſtitura ab vnaquaque perſona fieri poteſt, ſiue ſeculari, ſiue eccleſiaſtica, ſi antiquitus eorum conſuetudo fuerit. hæc ſecundum quoſdam, & à fœmina, & à minore xxv. ann. fit. De nouo ſi fiat inueſtitura, nominatim & de certa re oportet fieri. Hæc inueſtitura, à muliere ſecundum quoſdam non valet, quibuſdam valere placet. quæ ſententia mitior eſt, à minore autem 18. annorũ non valet: hoc etiam de minoribus ann. xxv. aſſeritur, vt quibuſdam placet. A prælatis Eccleſiarum vero tradi, & legitimè dici poteſt iure vt valeat inueſtitura, dum tamen diſſipator videri non poſſit: quod ſi aliter intelligeretur, nullum beneficium ab Eccleſiaſticis perſonis datum retineri poſſet. Dicitur etiam quod ſi coniunctæ perſonæ gratia, vel etiam alicui alteri tale dedit feudũ, quod duos conſimiles vaſallos acquirere poſſet, inutile eſt beneficium

IVSTO ERRORE EXCVSARI VAſallum qui fidelitatem non fecit.

TIT. XCII.

QVicũque paratus eſt facere bene fidelitatẽ domino ſuo, prout pater fecerat fidelitatem patri vel anteceſſori domini, dum tamen hæc bona fide dicat, & non dolo ſe: ſed iuſto errore, omnino condẽnari non poteſt. Cum enim controuerſia eſt inter ipſos, per antiquitatem feudi, vel per breue teſtatũ vel per teſtes domino incumbit probatio, alioquin per vaſallum veritas inquiratur.

FACTVM FRATRIS FRATRI IN feudo paterno non nocere.

TIT. XCIII.

QVoddam ſatis bene diſpoſitum ad vtilitatem, & ad pernicioſam calliditatem deſtruendam, in ſcriptis inſerere curauimus. Quidam miles bina beneficia à duobus dominis, prout ſolitum eſt, acquiſiuit: qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter ſe diuidentes alter eorum ſuo domino pro beneficio quod ad eum venit fidelitatẽ nullo antepoſito, ſicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater alteri domino ſimiliter pro ſuo beneficio, quia alium nullum dominum habere videbatur, nullo antepoſito fidelitatem fecit. defuncto poſteriore fratre ſine filiis, vtrumque feudum in vnam vt prius venit perſonam, & ſic dominus talem fidelitatẽ quærit, qualem frater eius fecerat: quas altercationes amputantes dicimus, illud quod frater fecit, nihil ſuperſtiti obeſſe: licèt in ſecundam & tertiam generationem, & vſque ad infinitum peruenerit.

DE FEVDO GVARDIÆ ET Gaſtaldiæ.

TIT XCIIII.

QVod nomine gaſtaldiæ vel guardiæ in feudum datur ablata gaſtaldia vel guardia iure auferri poteſt.

DE SVCCESSIONE FEVDI.

TIT. XCV.

QVidam dominus habens beneficium, reliquit duos filios: & vnuſquiſque ipſorum habuit duos vel tres filios: vnus illorum fratrum deceſſit, vnã tantùm filia relicta: portionem illius non ad omnes ſuperſtites, ſed ad patruos illius & ſuis poſterioribus pertinere dicimus.

DE INVESTITVRA ALIENI beneficij.

TIT. XCVI.

SI quis acceperit inueſtituram alterius beneficij, inutilis eſt hæc inueſtitura: & qui ſciens hoc agit, de euictione agere non poteſt.

NON AMITTERE FEVDVM EVM qui ſine dolo ceſſauit per annum in petenda inueſtitura.

TIT. XCVII.

INter dominum & vaſallum nulla fraus debet eſſe, & inde poteſt accipi, ſi vaſallus non doloſe ſteterit per annum quærere inueſtituram ſui beneficij, non damnabitur. dolus enim abeſt, ſi iuſta cauſſa impediente ſteterit, vel etiam cum amore ſeruitium fecerit domino conſcio. Dicimus autem vt ſi contra ea quæ in fidelitate nominantur fecerit, beneficio carebit.

EX DELICTO VASALLI FEVDVM ad dominum redire.

TIT. XCVIII.

VAſallus habens feudum deliquit contra dominum, cui iudicatum eſt. agnati cum domino litigant. quidam domino dicunt pertinere; quidã agnato. Dicimus autem ad dominum non pertinere, donec aliquis maſculus ex delinquenti vaſallo ſupereſt. alij vero contradicunt.

DE FEVDO LIGIO.

TIT. XCIX.

SIquis inueſtitus de feudo ligio, pro quo contra omnes fidelitatem domino debet, Lucio & Titio ex ſe deſcendentibus filiis, ſibi heredibus inſtitutis, vita deceſſerit, diuiſione facta, ſi ad ſolum Titium feudum peruenerit, rationabiliter placuit eum ſolum fidelitatis ſacramento eſſe obnoxium, ad quem ſolita feudi iura tranſierint. quòd ſi ab alio domino Lucius poſtea feudum per inueſtituram acquiſiuerit, pro quo ſimiliter ei cõtra omnes homines fidelitatem fecerit: decedente Titio ſine liberis, ad quem deuoluatur feudum, quod ex diuiſione habuerat, an ad alium fratrem, an ad dominum quæri poteſt. & cum placeat quem ligium hominem duorum eſſe non poſſe, videri poteſt feudum ad dominum pertinere. ſed rectius viſum eſt feudum, quod per inueſtituram acquiſiuerit, impedimento ei non eſſe, liceréque ei per ſubſtitutum acceptabilem domino priori ſeruire.

IMPERATOREM FEVDVM AMITtere vel alium pro ſe fidelem dare.

TIT. C.

EX facto incidiſſe ſcio Fridericum principem noſtrũ, cum ab initio Dux eſſet, & pro Ducatu fidelitatem faceret, diuino nutu poſtea Imperatorem creatum, petita ab eo fidelitate pro ducatu, petenti domino reſpondiſſe, non teneri ſe fidelitatem facere, cùm omne hominum genus ſibi fidelitatem debeat, & ipſe ſoli Deo & Romano Pontifici. ſed cum inſiſtente feudi domino de hoc contenderetur, proceribus prudenter viſum eſt, feudum amiſſum eſſe, vel alium Ducem in Ducatu conſtituendum, qui feudo ſeruire debeat, & domino fidelitatem faciat.

ECCLESIAM FIDELITATEM facere,

TIT. CI.

DE negotio ſuper quo nos conſulere voluiſti, tibi ſecundum ius curiæ & vſum feudi breuiter reſpondemus, quatenus pro feudo, quod ab aliquo per Eccleſiã detinetur, nulla ſit facienda fidelitas.

NON COGI VASALLVM PRO vno feudo duas fidelitates facere.

TIT. CII.

INſuper etiam te inſtructum eſſe volumus, quod ſi dominus à quo feudum tenebatur, diem ſuum pluribus heredibus relictis obierit: vaſalli, qui communiter illud tenent, non coguntur fidelitatem pro eo feudo facere, niſi domini illud feudum primo partirentur: quoniam ſecundum ius feudi non debet quis duas fidelitates pro eodem feudo facere.

FILIOS TANTVM SECVNDI matrimonij matri in feudum ſuccedere.

TIT. CIII.

MVlier quæ feudum ſecundi viri contemplatione acquiſierat, ſi ex vtroque matrimonio ſuperſtitibus liberis deceſſerit, ſolos ex ſecundo viro ſuſceptos filios ad feudi ſucceſsionem admitti, vſu curiarum obtentum eſt.

CASVS QVIBVS FOEMINA IN feudo ſuccedit.

TIT. CIIII.

SI cui militi ad certum ſeruitium feudum fuerit datum, iſque relicta ex ſe deſcendente fœmina, deceſſerit, quæ id ſeruitium iuxta feudi conditionem non minus decenter præſtare poſsit, quàm maſculus, etſi in inueſtitura minimè cautum ſit, vt & fœminæ ad id aſpirare valeant, eam tamen admitti rectum putamus, quinimo hoc caſu, ſimul cum maſculo in feudo eam ſuccedere quidam putant, quod multo magis dignum obſeruantia exiſtimauimus, cùm feudum ſic datum eſt, vt nullum pro eo ſeruitium fiat, vt pleraque hodie feuda dantur. Item ſi quis eo tenore de feudo aliquo ſit inueſtitus, vt in eo ſuccedant fœminæ, ſicut maſculi, ſiue feudum id ad certum fuerit datum ſeruitium, ſiue pro eo indeterminatè fuerit promiſſum ſeruitium, inueſtito moriente in feudum ſuccedunt pariter & mares, & fœminæ. quanquam enim ſuperſtite maſculo ex eo qui primus feudum adquiſiuit, fœminæ excludantur, & ſi in maribus & fœminis fuerat acquiſitum) vt in feudis regulariter tradi ſolet (ſermonem tamen inueſtituræ, nec non vim verborum & ſenſum contrahentium intuences, diſcretionem ſexus in eiuſmodi feudi ſucceſsione non fecimus. Iugales à quodam milite ſimul de eodem feudo inueſtiti fuerant, vt in ſe deſcendentéſque ſuos id haberēt. Hi ex ſe filio & filia ſuperſtitibus defuncti ſunt, inter quos feudi quæſtio agitatur, maſculus enim vniuerſum feudum ſibi vindicat: fœmina vero ad parentum feudum pariter cum fratre vocari ſe defendit. quidam pro maſculo, quidam pro fœmina pronuntiant. Eorum qui pro filia iudicant, ſententiam ſequendam eſſe cenſeo, cùm filia ex antedictorum iugalium contubernio ſupereſt ex prædefuncta vxore alio ſuſcepto maſculo, qui conſanguineus ad eam frater ſit. In cæteris priorum ſententia ſanè ſequenda eſt. quod ſi ſola ex eo matrimonio relicta filia, nullo ex eo vel alio connubio ſuperſtite maſculo, ab hac luce ſubtracti fuerint, feudum ſcindi fert prudentum noſtræ ciuitatis opinio, vt dimidiam quidem partem fœmina ſibi acquirat, reliquam verò dominus aut eius heres accipiat.

DE FEVDIS HABITATIONVM.

TIT. CV.

FEuda habitationum, niſi aliud ſpecialiter cautum ſit, morte accipientium finiuntur.

SERVOS POST DELATAM SVCceſsionem manumiſſos in feudum non ſuccedere.

TIT. CVI.

QVæſitum ſcio, dudùmque apud prudentes fuiſſe cauſam hanc: ſi ſerui, quibus macula ſeruitutis obſtaculo fuerat, libertate donati fuerint, an ad feudi ſucceſsionem valeant aſpirare? Denique poſt magnas varietates obtinuit ſententia diſtinguentium, quo tempore libertatis donum aſſecuti fuerint: vt ſi quidem eo tempore, quo coheres alter, vtpote his conſtitutis inhabilibus, aut dominus quaſi ad ſe deuolutum vindicaſſet, ab eius ſucceſsione ſint penitus alieni, ne quod legitimè factum eſt, ſuperuenienti facto poſtea retractetur: qui ſi re integra manumiſsi fuerint, in feudum rectè ſuccedere queunt.

VT VASALLI SVMPTIBVS DOmini ſeruitia præſtent.

TIT. CVII.

ANtiquatum eſſe ipſis rerum experimentis, nos ipſi cognouimus, fideles, niſi aliud contractibus pactiones inſertæ deſiderent, dominorum ſumtibus eiſdem ſeruitia miniſtrare. Iuſtum namque eſt, vt illi conſequantur ſtipendium, quo tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium, præſertim cùm nec quiſquam propriis cogatur impendiis militare, maximè cùm extra ciuitatis ſuæ territoria ſeruitiis exhibendis eos conuenit fatigari.

VASALLVM FEVDVM POSSE in alium arctiori lege transferre.

TIT. CVIII.

NVlla iuris conſtitutione aut conſuetudinis, vſúſque lōgæui obſeruantia prohiberi, ſciſcitatus inuenio, vaſallum arctiori, quàm ipſe habeat, lege feudum in alium vbilibet poſſe transferre.

CLERICATV FEVDVM AMITTI.

TIT. CIX.

ET iure & moribus receptum eſt, vaſallum clericali ſe militiæ dedicantem feudum amittere. Scriptum eſt enim in diuinis eloquiis: Miles Chriſti ſeruiat Chriſto: milites ſeculi ſeruiant ſeculo.

DE FEVDIS.

LIB. V.

QVO VARIAE CONSTITVTIOnes Imperatorum ad hanc partem iuris pertinentes continentur.

CONSTITVTIO CONRADI de beneficiis.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus. Omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus & noſtris tam præſentibus quàm futuris notum eſſe volumus, quod ad recōciliandos animos ſeniorum & militum, vt ad inuicem ſemper inueniātur concordes, & vt fideliter nobis & ſuis ſenioribus ſeruiant & deuotè, præcipimus & firmiter ſtatuimus, vt nullus miles Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, Marchionum, vel Comitum, vel hominum qui beneficium de noſtris publicis bonis, aut de Eccleſiarum prædiis nunc tenent aut tenuerint, aut haſtenus iniuſtè perdiderint, tam de noſtris maioribus



ioribus valuaſoribus, quàm eorum militibus ſine certa & conuicta culpa ſuum beneficium perdat, niſi ſecundum conſuetudinem anteceſſorum noſtrorum & iudicium parium ſuorum. Si contentio emerſerit inter ſeniorem & militem, quamuis pares iudicauerint, illum ſuo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc iniuſtè, vel per odium factum eſſe, ipſe ſuum beneficium teneat, donec ſenior & ille quem culpat, cum paribus ad noſtram præſentiam veniāt, & ibi cauſſa iuſtè determinetur. Senior verò nemiles qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, ſex hebdomadas antequam iter incipiat ei cum quo litigauerit, innoteſcat. Hoc autem de maioribus valuaſoribus obſeruetur. De minoribus verò in regno noſtro, aut ante ſeniores, aut ante miſſum noſtrum eorum cauſſa finiatur. Præcipimus etiam, vt ſi aliquis miles ſiue de maioribus, ſiue de minoribus, de hoc ſeculo migrauerit, filios eius beneficium tenere, ſi verò filios non habuerit, & auiaticum ex maſculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, ſeruato vſu maiorum valuaſorum in dandis equis & armis ſuis ſenioribus. Si verò fortè auiaticum ex filio non reliquerit, ſed fratrem legitimum ex parte patris, & ſi ſeniorem offenſum habuerit, ſibi vult ſatisfacere & miles eius eſſe, beneficium quod patris ſui fuit habeat. Inſuper & omnibus modis prohibemus, vt nullus ſenior de beneficio ſuorum militum cambium aut precarium aut libellum ſine eorum adſenſu facere præſumat. Illis verò quæ tenet proprietario iure, aut per præceptio ſuo porrectum libellum ſiue per precariam, nemo eum deueſtire audeat iniuſtè. Fodrúm autem de caſtellis quod noſtri anteceſſores habuerunt, habere volumus. illud verò quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis hanc iuſſionem noſtram infregerit, auri optimi libras C. componat, midietatem cameræ noſtræ, & medietatem cui damnum illatum fuerit.

CONSTITVTIO HENRICI DE cauſis amittendi feudi.

IMperator Auguſtus Henricus ſecundus. De militum beneficiis quoniam dubias variaſque cauſſas in regno noſtro eſſe cognouimus, ideo ad Reipublicæ ſtatum quædam ſtatuimus. Si quis ergo dominum ſuum interfecerit, vel vulnerauerit, ipſum dominum ſuámve dominam obſederit, vel eum cucurbitauerit, vel contra ea, quæ in fidelitate nominantur, fecerit, vel his ſupradictis conſilium dederit, parium laudatione beneficium amittat. Si verò de ſupradictis ſe defendere voluerit, teſtibus à parte domini deficientibus, cum tribus paribus ſe expurget: ſi autem pares habere non potuerit cum duodecim propinquioribus parentibus ſe defendat (vſu verò curiali ſolus defendat.) Si quis autem ſuorum parium idoneus tamen exinde ſe veritatem ſcire dixerit, & per pugnam eum fatigare voluerit, vt per pugnam ſe defendat edicimus. Si quis autem fuit, qui domino non ſeruierit, parium laudatione beneficium amittat (curiali tamen vſu id redimere poteſt pro medietate, quantum valuerit.) ſed ſi hoc defendere noluerit, duos vel vnum ſaltem parem oſtendat, & cum his ſe ſeruiſſe iuret: & ſi pares parémve habere nequiuerit, cum tribus vel duobus propinquioribus parentibus ſe intra annum ſeruiiſſe iuret: (vſu tamen curiali ſolus iurare conceditur. Qualiter autem iuret, an ſolus, an cum aliis, nihil intereſt, dum tamen ſeruitia nominet.) Si autem concorditer cum domino ſuo ſe habuerit dominum ſæpe videndo, tūnc dicimus vt probet per teſtes ſeruitium feciſſe, & per ſe non ſteuiſſe. Si autem aliqua inter dominum & vaſallum diſcordia fuerit, vel ſi domicilia in longinquum habuerint, vaſallus domino ſe repræſentando ſeruitium promittat, & ſi neceſſe fuerit, hoc probet iureiurando, ſaltem ad finem controuerſiæ vaſallo à paribus dato. Si quidem intra annum ſeruierit, quod leuiſſimum fuerit, & dominus aliud ſeruitium impoſuerit, quod vaſallus neglexerit, vnde damnum domino illatum fuerit vſque ad fruges, feudatarius parium exiſtimatione dānum reſarciat. De aliis verò culpis vnde beneficium non amittitur, parium laudatione defendat ſe, vt ſuprà, vel emendat.

ALIA CONSTITVTIO HENRIci de vaſallo qui vnum ex dominis reſutauit.

IMperator Henricus: Si contigerit feudum in curia aut neglectu fidelis conſortibus applicari. nullum ex eo leuamen detruſus excipiat, ne ſenioris ſui contemptus illuſus fiat, ob quem feudum iure dimiſerat. Sanè qui aliter fecerint, quàm quod mens ſaluberrimæ noſtræ conſtitutionis expoſcit, beneficio ſe carituros eſſe cognoſcant, ita vt eis amplius ſperare non liceat, ſeniori danda licentia tam ab ipſis eorúm que conſortis, quàm cæteris detentatoribus prædictum beneficium vindicandi.

ALIA CONSTITVTIO HENRICI eiuſdem, vt ingratitudo vaſalli probetur teſtibus quinque.

*Imp. Henricus Aug. vniuerſo populo.*

SI vaſallus inhoneſtis factis, atque indecentibus machinationibus dominum ſuum offenderit, &c.

CONSTITVTIO LOTHARII DE feudis non alienandis.

*Lotharius diuina fauente clementia tertius Imperator Romanorum, pius, felix, inclitus ac triumphator, ſemper Auguſtus vniuerſo populo.*

IMperialis beneuolentię proprium eſſe iudicamus, commoda ſubiectorum inueſtigare, &c.

ALIA EIVSDEM LOTHARII CONſtitutio de inueſtitura non petita intra annum.

*Imp. Lothar. Eugenio papæ, & vniuerſo populo.*

QVoniam inter dominum & vaſallū nulla fraus nec vllum malum ingenium debet interuenire, &c.

CONSTITVTIO FRIDERICI DE feudis non alienandis & aliis capitulis.

*Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus vniuerſo populo.*

IMperialem decet ſolertiam ita Reipublicæ curam gerere, & ſubiectorum commoda inueſtigare, &c.

ALIA DE IVRE FISCI.

*Imp. Fridericus.*

REgalia ſunt armanniæ viæ publicæ, flumina nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, &c.

ALIA CONSTITVTIO EIVSDEM Friderici de pace tenenda.

FRidericus Dei gratia Romanus Imperator, & ſemper Auguſtus, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, & Rectoribus, &c.

*Alia conſtitutio Friderici Imperatoris. De incendiariis & pacis violatoribus.*

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, Decet fidelitatis noſtræ

tempora, generali populorum prouinciarum tranquillitati circumſpectionis noſtræ ſtudio prouideri, vt dum in ſubiectis dominationis virtute pollemus, reprobos quoſlibet ac ſceleroſos à ſubditorum iniuriis arceamus æquitatis noſtræ correctione. Conſiderantes quippe quæ damna, quantæque deſolationes hominum & prouinciarum, per ſeditiones & incendia prouenerint, & quantos prætereà futurorum timores reportent, ea quæ de conſcientia & conſilio principum, & aliorum fidelium noſtrorum, tam liberorum, quàm miniſterialium, ad reprimendas incendiariorum inſolentias, imperialis noſtra ſanxit auctoritas, vniuerſalis imperij fidelibus nota fieri volumus, & ſicut in caſtro noſtro Nurimberc, hæc ordinata & confirmata ſunt, firmiter indicimus obſeruanda. Primùm igitur de incendiariis demandamus generaliter, vt ſi liber homo, ingenuus, miniſterialis, vel cuiuſcumque conditionis fuerit, incẽdium commiſerit pro vuerra propria, pro amico, pro parente, vel cauſſæ cuiuſquam alterius occaſione, de ſententia & iudicio imperiali, proſcriptioni ſtatim ſubiectus habeatur. Hic excipiuntur, ſi qui fortè manifeſta vuerra caſtra manifeſtè capiunt: & ſi qua ibi ſuburbia, aut ſtabula aliáve tuguria præiacent, igne ſuccendunt. Excipiuntur & iudices quos in malefactores pœnam iuſtitia exigente exercere contingit. Quòd ſi aliquis in Ducatu alicuius incendium fecerit, ipſe proſcriptum pronunciet, ac deinde iuſtitiæ ſuæ auctoritate eum proſcribat. Idipſum faciant Marchiones, Palatini Comites, Landgrauij, & Comites alij, nec alicui eorum liceat talem abſoluere, niſi domino Imperatori.

Quicumque etiam incendiarium in domo ſua ſcienter receperit, & conſilium auxiliúmve ei impenderit, damnum & iniuriam paſſo pro facultate ſua reſtituat. Iudici verò x. libras monetæ de illa diœceſi in qua commiſſum eſt, perſoluat, ac domino Imperatori pro voluntate & gratia ſua diſponat. Si quis autem ſuper hac culpa innocentiam ſuam probare vel oſtendere voluerit, cum duobus viris veracibus culpa in præſentia iudicis ſe expurget.

Si quis autem cuiquam impoſuerit, quòd incendiarium receperit, & de hoc ipſum iure voluerit conuenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, niſi præſtito primò calumniæ ſacramento, Dominus etiam Imperator proſcriptorum neminem à ſententia proſcriptionis abſoluat, niſi de illicitis primò damnis cum iniuriato componat, & niſi cõſciente iudice hoc faciat.

Proſcriptum verò, quem pro incendio ſententiam proſcriptionis incurriſſe omnibus notum fuerit, diœceſianus Epiſcopus, ſi ad ſatisfactionem inobediens extiterit, à communione Eccleſiæ Dei & fidelium Chriſti abiiciat, & extraneum eum reddat, nec eum abſoluat, quoaduſque læſo damnum reſtituat: & econuerſo, quem Epiſcopus legitimis induciis citatum iuſtitia dictante excommunicauerit, & hoc iudici inſinuauerit, iudex cum banno proſcriptionis condemnet, & nec prius eum abſoluat, quàm coram Epiſcopo de his pro quibus condemnatus eſt, ſatisfaciat. Quòd ſi à proſcriptione illa prædicto modo fuerit abſolutus, & Epiſcopo ſuo voluerit obedire, incendium primò abiuret, deinde ſit in arbitrio Epiſcopi, qualem ei pœnam iniungat, ad viſitandum ſepulchrum Domini, aut limina Iacobi Apoſtoli. Si autem proſcriptus eo, vt dictum eſt, modo abſolui deſiderauerit, domino Imperatori fines imperij per annum & diem abiuret. Si quis autem à proſcriptione & excommunicatione ſimiliter non fuerit abſolutus infra annum & diem vniuerſo iure, honore, & legalitate priuatus habeatur, ita vt ferendo teſtimonio, vel ad iudicandum, de cetero nequaquam ſit admittendus. Omni quoque feudali iure carebit perpetuo.

Item ſi in reiſa alicuius domini, cum ipſo domino cuius eſt reiſa, aliquis fuerit, qui incendium (vt ſæpius contingit) faciat, dominus ipſe, cuius eſt ipſa reiſa, iurabit ſuper reliquias, quod non fecerit conſcientia vel mandato, vel voluntate ſua. Reum autem abiiciet à ſe & nunquam recipiet. Quod ſi illum poſt ſatisfactionem receperit, tenetur vniuerſum damnum quod ille commiſit, reſtituere.

Item ſi contingat dominum aliquem in villa aliqua hoſpitari violenter, & fortuitu euenerit domum aliquam incendi, & ille cui fit damnum, dominum impetierit: quod mandato ſuo, vel voluntate, vel conſcientia ſua factum ſit damnum damnificato reſtituat.

Item ſi incendiarius captus fuerit, & coram iudice negare voluerit incendium ſe commiſiſſe, ſi fortè notorium non fuerit, per prouinciam iudex ſi poſſet eum cum ſeptem idoneis teſtibus conuincere, capite plectatur. Sed ſi notorium fuerit, nullius requirendum eſt teſtimonium, ſed ſtatim decollandus. Item ſi Caſtellani cuiuſquam domini deſcendentes à caſtro domini ſui, incendium fecerint domino abſente à prouincia, caſtrum domini propter hoc non erit comburendum, ſed bona incendiariorum quæcumque extra caſtrum fuerint reperta, comburantur. Poſt reuerſionem verò domini, ſi dominus incendiarium retinere voluerit, & à ſe non repulerit, caſtrum eius ſimiliter erit comburendum. Item ſi proſcriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, de qua non poſſit haberi, niſi domus incendatur, propter hoc incendium non erit quis incendiarius, ſed damnum pro incendio reſtituere debet. Item ſi incendiarius ſuper caſtrum aliquod agitatus confugerit, & dominus, cuius eſt caſtrum, fortaſſis dominus, vel vaſallus, vel conſanguineus fuerit, dominus ille non debet eum perſequentibus repræſentare, ſed iuuabit eum à caſtro in ſyluam, vel aliàs, vbi ſecurus ſibi videatur. Quòd ſi nec dominus vel vaſallus, nec cognatus fuerit, perſequentibus eum ſtatim repræſentet, vel cum eo in eadem culpa ſit.

Statuimus etiam, & eodem firmiter edicto ſancimus, vt quicumque alij damnum facere, aut lædere ipſum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuncium ſuum diffiduciet eum. Quòd ſi læſus diffiduciatum ſe fuiſſe negare voluerit, nuncius idem ſi viuus eſt, iuret quòd contradixerit ei ex parte domini ſui, loco & tempore deſignato. Si mortuus eſt nuncius, iuret dominus iunctis ſibi duobus viris veracibus quòd contradixerit ei, ne dolo mediante de fide violata quis valeat inculpari. His ſancientes adiicimus, vt quicumque treugas alicui dederit, niſi ibi determinatum & exceptum fuerit, quo tenore ſeruet vel non ſeruet eas, contradicere eis ante terminum ſtatutum nequaquam poſſit. Quòd ſi fecerit, vt violator fidei iudicetur.

Item qui nuncium aliquem, pro eo quod contradicturus mittitur, læſerit, fidem ſuam violauit, & decetero omni honore ſuo carebit, & in poſterum nullus ei contradicet. De filiis quoque ſacerdotum diaconorum, ruſticorum, ſtatuimus, nec cingulum militare aliquatenus aſſumant; & qui iam aſſumpſerunt, per iudicem prouinciæ à militia pellantur. Quòd ſi dominus alicuius eorum eum in militia contra iudicis interdictum retinere contenderit, dominus ipſe iudici in x. libras condemnetur, ſeruus autem omni iure militiæ priuetur. Statuimus etiam, vt ſi quis vineas aut pomaria exciderit, proſcriptioni & excommunicationi incendiariorum ſubiiciatur. Vt autem hæc tam vtilis ordinatio omni tempore rata permaneat, & eo quo dicta eſt tenore inconuulſa conſiſtat, eam legibus prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum atque regum iuſſimus interſeri, & perpetuo iure ſeruari. Cui ſi quis auſu temeritatis contraire præſumpſerit, Dei omnipotentis & noſtræ perpetuò indignationis ſit reus. Fiat, fiat. Actum Nurembere, in præſentia Principum



Conſilio, & conſenſu eorum, Anno incarnationis M.C.LXXXVII, III. Kal. Ian.

ALIA CONSTITVTIO EIVSDEM de pace componenda & retinenda inter ſubiectos, & aliis capitulis.

*Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus vniuerſis ſubiectis ſuo Imperio Salutem.*

HAc edictali lege in perpetuum valitura iubemus, vt omnes noſtro ſubiecti imperio, &c.

ALIA CONSTIVVTIO EIVSDEM Friderici de pace Conſtantiæ.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c.

ALIA CONSTITVTIO FRIDERici de iure προτιμήσεως.

SAncimus à modo in omni prouincia & in omni ciuitate, ſi quis ex parentela habeat communem agrum, domum, vel vineam, vel rem immobilem diuiſam, vel indiuiſam, aut ex communi emptione, vel aliquo huiuſmodi titulo, vel alio modo aliquo coniunctim, & voluerit alienare ſupradictas res per venditionem, vel emphyteuſim vel locationem, non antè liceat ei alienare, quàm denũciauerit illis quos vocauimus per ordinem in ius προτιμήσεως. In primis vocentur parentes, qui ſunt coniuncti, poſt hos ſocij, poſt hos illi qui ſunt coniuncti, etiam ſi extranei ſint, poſt hos vocentur omnes qui ſunt ſub vno ſeruitio, & qui ſunt coniuncti ex aliqua parte. Sin autem plures ſint in iure προτιμήσεως, omnibus denuncietur, vt intra xxx. dies ſoluendo iuſtum pretium ſine mora aut quantum quiuis emptor ſine fraude dederit, vnuſquiſque portionem ſuam accipiat. Verùm ſi intra ſtatutum terminum, iuſtum pretium non ſoluerit, de cetero non habebit ius προτιμήσεως, niſi ſi quis eorum erat in captiuitate vel deportatus, vel in exilium miſſus, vel abſens reipublicæ cauſſa, aut ex propria ſua cauſſa, vel minor vigintiquinque annis: & licèt iſti fuerunt abſentes ex iuſta cauſſa, tamen tutores eorum, vel curatores, vel procuratores, vel defenſores intra quatuor menſes debent venire & ſoluere iuſtum pretium cum legitimis vſuris & expenſis neceſſariis, & accipere ius προτιμήσεως, & extraneos emptores omnimodo expellere, & ſi neglexerint hoc facere, ſarcient de propriis ſuis quidquid incommodi illi habuerint. Licèt autem ſuprà diximus omnes vocari ad ius προτιμήσεως, tamen ſi probatum fuerit quòd atroces iniurias vel manus impias venditori vel eius familiæ intulerint, vel ipſius ſubſtantiæ grauem iacturam moliti ſunt, vel contra eius vitam niſi ſunt, omnes iſti nullo modo ſine voluntate venditoris ad ius προτιμήσεως veniunt. Ex cauſſa tamen dotis vel donationis propter nuptias vel ſimplicis donationis vel donationis cauſſa mortis vel ex teſtamento, permutatione, tranſactione, & parentes & extranei omnes poſſunt alienare, niſi quis vendendo vel locando, ei qui non habuit ius προτιμήσεως ſimulatè donauerit vel legatum dederit. Ideoque illi qui habent ius προτιμήσεως poſſunt exigere iuramentum à venditore & emptore, & poſt iuramentum ſi probatum fuerit contra Conſtitutionem noſtram ſimulatè hoc feciſſe venditorem & emptorem, rem & pretium perdent, & fiſco applicabitur, fiſcus autem vendet rem illam illis qui habent ius προτιμήσεως. Sed ſi ante iuramentum probatum fuerit hoc eos feciſſe, venditio erit irrita, & venditor cogetur inuitus vendere illis qui habẽt ius προτιμήσεως. Prohibemus autẽ potẽtiores perſonas aliquid accipere prætextu adoptionis vel donationis ſimplicis aut cauſſa mortis, ex teſtamento, vel ex vſucapione, aut ſub prætextu defenſionis, niſi fortè parentes fuerint. Potentiores autem dicimus, qui non tantum per ſe, ſed etiam per propinquos poſſint inferre timorẽ alienationibus, aut promiſſionem beneficij. Quod ſi aliquis ex potentioribus hoc præſumpſerit facere, ſit cliens ab illa re, & æſtimationem illius rei præſtet fiſco. Tranſcurſo tamen decẽnio ſine denunciatione nulla de cetero moueatur controuerſia illis qui poſſident ex aliquo contractu vel ex donatione vel ex teſtamento, ab illis qui habent ius προτιμήσεως vel etiam fiſco.

LIA EIVSDEM DE IVRE προτιμήσεως.

QVum omnibus homibus qui legibus reguntur & moribus, præceptum eſſe conſtet, ius ſuum cuique tribuere, nec cuiquam ius ſuum detrahere, libertatis procedente gratia qua naturaliter quod cuique facere libet niſi quid vi aut iure prohibetur, eſt conceſſa facultas res ſuas vnicuique liberum eſſe aut propter nuptias donationis aut dotis aut ſimplicis donationis aut cuiuſlibet alienationis aut vltimæ voluntatis diſpoſitionis cauſſa ſiue teſtamentario iure in alium transferre non eſt ambigui iuris. Sed quoniam & iure præcipitur, honeſtè viuere, alterum non lædere, ne hi qui cognatione vel communione, vel aliquo propinquitatis modo eorum qui vendunt vrbanis ruſticíſve prædiis adhærendo ab his qui intromiſceantur, lædantur, vel aliter ipſa venditione impediantur iure προτιμήσεως præferri ſancimus, &c.

ΝΕΑΡΑ ΡΩΜΑΝΟΥ ΤΟΥ ΓΕροντος, περὶ ἐκποιήσεως κτημάτων καὶ προτιμήσεως συγγενῶν, καὶ κοινωνῶν, καὶ ἀναμεμιγμένων, καὶ συμπαρακειμένων ὁμοτελῶν, καὶ συνεπτῶς ἡνωμένων καὶ τῶν νεμομένων ὁμοτελῶν χωρίων, καὶ ἀγριδίων, καὶ κωλύσεως δυνατῶν προσώπων, καὶ ἐκποιήσεως στρατιωτικῶν κτημάτων.

ΠΑλαιὸς νόμος ἐστὶν, ἵνα μηδεὶς, &c.

Vocantur hac conſtitutione in ius προτιμήσεως cognati primum conſortes, veluti fratres, qui paterna prædia pro diuiſo aut pro indiuiſo poſſident, hi ſunt qui dicuntur οἱ ἀναμὶξ συγκείμενοι συγγενεῖς, auctoribus Græcis interpretibus, qui & inde adnotant rectè conſortes extraneos præferri cognatis non conſortibus. Poſt cognatos conſortes vocantur ſocij, deinde qui rem communem habent citra ſocietatem, ſiue ſint cognati ſiue exteri, tum ij qui communi cenſus vinculo tenentur, licèt non eodem loco cenſum exſoluant, poſtremò vicini & confines. Hi teſtato denunciandi ſunt antequam venditio fiat extraneo. Denunciatis datur menſis, procuratoribus eorum menſes quatuor, non denunciatis decennium, dominis ἐμφυτεύσεων & feudorum longè alia tempora, l. vlt. C. de iur. emphy. & ſuprà 2. tit. 9. & ij qui præſentes venditioni adfuerunt, & tacuerunt, vt interpretes Græci adnotant rectiſſimè, nec venditioni conſenſiſſe, nec pro denunciatis habentur, l. Titia. S. Lucia. D. de leg. 2. l. Gaius. D. de pig. act. Conſenſu amittitur ius προτιμήσεως & præſcriptione temporis, & ingratitudine ſiue indignitate. Datur etiam hac No. ius προτιμήσεως conuicanis, ſecundum l. 1. C. non lic. habit. me... Eſt & aliud hac No. caput de locupletioribus & potentioribus, vt ne quid ex bonis tenuiorum adquirant ἐν τοῖς χωρίοις ἢ ἀγριδίοις, ἐν οἷς οὐκ ἔχουσιν ἴδια κτήματα, vt explicatius enarrant inter-

preces. non igitur niſi ἀνακοινώσεως τῆς πλησιασμοῦ iure, & ad definitionem potentiorum, No. Conſtantini Porphyrogennetæ περὶ δυνατῶν τῶν εἰσελθόντων εἰς κτῆσιν πενήτων declarat nihil intereſſe potentior ſit qui emerit, an is qui potentiori domeſticus ſiue προσωκειωμένος fuerit, Fridericus malè, propinquus. Igitur ne potentiores quidem derogare poſſunt iuri προτιμήσεως. quinimo ſeuerius cum his agitur. nam neque donationis aut teſtamenti aut tranſactionis aut patrocinij aut adoptionis iure ad bona tenuiorum peruenire poſſunt. Sed eadem & hos quæ ſuperiores tuetur præſcriptio decennij.

Poſtremũ caput vetat alienationem prædiorum militarium: quod omnino pertinet ad feuda, & conſentit etiam cum Friderici & Lotharij Conſtitutionibus ne milites per inopiam muneribus militaribus reddantur inhabiles, publicóve depereat cenſus qui eo nomine dependi ſolet: qua de re viſum etiam eſt proponere Nouellam Conſtantini Porphyrogennetæ.

ΝΕΑΡΑ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ

Πορφυρογεννήτου περὶ στρατιωτῶν.

Ὥσπερ σώματι κεφαλὴ, &c.

Vt Lotharij & Friderici Conſtitutione feuda nullo modo poſſunt à militibus alienari, ita nec ea prædia militaria quæ relata ſunt in Codices militares ex hac Conſtitutione, quæ feudis comparamus. Cætera autem quæ Codicibus militaribus abſunt, poſſunt alienari vſque ad certum modum, puta ſecundum eius diſtinctionem, ſi modò retineat ſibi tantùm ex iis miles quantũ conficiendis quatuor vel duabus libris auri ſufficiat, ne ſcilicet omnino redactus ad inopiã, & militiæ reddatur inutilis, quæ eſt etiam ratio Conſtitutionum Lotharij & Friderici. Sed hoc diſtabant illa prædia militaria à feudis, quòd illa à nemine recognoſcebant, quippe cùm eorum eſſent milites pleno iure domini, & conſequenter quòd alienatione aliis non aperirentur, ſed illis ipſis reſtituerentur. Cæterum vt Fridericus nullam cenſet emptori præſcriptionem temporis opitulari poſſe, quominus venditio reſcindatur; ita nec Conſtantinus, niſi XL. annorũ, quaſi ſcilicet omnis qui ea prædia emerit in eo pro malæ fidei poſſeſſore habeatur, l. 7. C. de agric. & cenſ. licèt in fructuum & eius quod inde tereret ratione diſtinguat inter bonæ & malæ fidei emptorem, ſicut Fridericus in precij repetitione. Et præterea longi tantùm temporis præſcriptionem excludere Fridericus voluit: militibus hæc ſiue nouella ſiue edicto Conſtantinus adnumerat cauſarios, & quid iuris ſit ſi prædia miles à milite emerit, definit, & alia quædam.

FEVDORVM FINIS.

# CONSTITVTIONES FRIDERICI SECVNDI IMPERATORIS INCIPIUNT.

*De ſtatutis & conſuetudinibus contra libertatem eccleſiæ editis, & immunitate locorum religioſorum vbique morantium & fori priuilegio, & Gazaris, & Patarenis, & aliis hæreticiis, eorumque ſucceſſoribus, & nauigiis peregrinis, & aduenis quocumque locorum hoſpitantibus, eorúmque ſucceſſoribus, & de agricolarum ſecuritatibus*

TIT. I.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, ſemper Auguſtus, Marchionibus, comitibus, cunctiſque populis quos clementiæ noſtræ regit imperium, Salutem & gratiam.

IN die qua de manu ſacratiſſimi patris noſtri ſummi pontificis recepimus imperij diadema, curauimus ad Dei & eccleſiæ ſuæ honorem, edere quaſdam leges, quas in præſenti pagina iuſſimus annotari, per totum noſtrum imperium publicandas. Per imperialia vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eas quiſque literas in ſuo diſtrictu irrefragabiliter & inconcuſsè ſeruet.

ET SVNT HÆ LEGES:

Ad decus & honorem imperij, & laudem Romani principis nihil omnino magis videtur accedere, quàm vt expurgatis quibuſdam erroribus, & iniquis quorundam ſtatutis penitus deſtitutis, decætero eccleſia Dei plena quiete vigeat, & ſecura gaudeat libertate. Sane adeò, infidelium quorundam & iniuſtorum iniquitas abundauit, vt non dubitent contra apoſtolicam diſciplinam, & ſacros canones ſtatuta ſua contingere, contra eccleſiaſticas perſonas, & eccleſiæ libertatem. Cùm ergo diſpoſitione diuina fauente nihil velit eccleſia (quæ nihil debet præter bonum appetere) quod non eodem concurſu & eadem non placeat voluntate.

1 ¶ Nos Fridericus Romanorum Imper. ſemper Auguſtus, hac edictali lege irritamus, & irrita nunciamus omnia ſtatuta & conſuetudines quæ ciuitates, vel loca, poteſtates, cenſules, vel quæcumque aliæ perſonæ contra libertatem Eccleſiæ, vel eccleſiaſticas perſonas edere, vel ſeruare aduerſus canonicas vel Imperiales ſanctiones præſumpſerint: & ea de capitularibus ſuis mandamus intra, duos menſes poſt huius publicationem edicti penitus aboleri: & ſi decætero ſimilia attentauerint, ipſo iure decernimus eſſe nulla, & eos ſua iuriſdictione priuatos, ſuperiori protinus applicanda: nec non locum vbi deinceps talia præſumpta fuerint, banno mille marcharum præcipimus ſubiacere: poteſtates verò, conſules, rectores, ſtatutarij, & ſcriptores dictorum ſtatutorum, necnon & conſiliarij locorum ipſorum, qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines memoratas iudicauerint, ſint ex tunc ipſo iure infames: quorum ſententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quòd ſi per annum huius noſtræ conſtitutionis inuenti fuerint contemptores: bona eorum per totum noſtrum imperium mandamus impunè ab omnibus occupari: ſaluis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali concilio promulgatis.

2 ¶ Item nulla poteſtas, vel perſona publica, vel priuata collectas ſiue exactiones, angarias, vel parangarias eccleſiis, vel aliis piis locis, aut eccleſiaſticis perſonis imponere, aut inuadere, bona eccleſiaſtica præſumant: quod ſi fecerint, & requiſiti ab eccleſia, vel ab imperio, emendare contempſerint, triplum refundant: & nihilo minus banno imperiali ſubiaceant: quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur.

3 ¶ Item quæcunque communitas vel perſona per annum in excommunicatione facta propter libertatem eccleſiæ perſtiterit, ipſo iure imperiali banno ſubiaceat: à quo nullatenus extrahatur, niſi priùs ab eccleſia abſolutus fuerit.

4 ¶ Item ſtatuimus, vt nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare præſumat, contra conſtitutiones imperiales, & canonicas ſanctiones. quod ſi fecerit, actor à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat: & iudex ſit extunc iudicandi poteſtate priuatus. Statuimus enim, vt ſi quis clericis vel perſonis eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit tertio requiſitus, ſuam iuriſdictionem amittat.

4 ¶ Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnal-



diſtas, Circunciſos, & omnes hæreticos vtriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus: præcipientes, vt bona talium confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita quod filij ad ſucceſſiones eorum peruenire non poſſint: cùm longè grauius ſit æternam, quàm temporalem offendere maieſtatem. Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum eccleſiæ, iuxta conſiderationem ſuſpicionis, ac qualitatem perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur: ita quòd ſi ſic per annum manſerint, extunc eos ſicut hæreticos condemnamus.

6 ¶ Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt poteſtates, conſules, ſeu rectores, quibuſcumque fungantur officiis, pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt, ita quòd amodo, quandocumque fuerit quis in poteſtatem, ſiue perpetuam, vel temporalem, aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare: alioqui nec pro poteſtatibus, nec pro conſulibus habeantur: & eorum ſententias irritas extunc decernimus & inanes.

7 ¶ Si verò dominus temporalis requiſitus & admonitus ab eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate: poſt annum à tempore admonitionis elapſum, terram illius ipſis exponimus catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis: abſque vlla contradictione poſſideant, & in fidei pietate conſeruent: ſaluo iure domini principalis: dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat, eadem nihilominus lege ſeruata contra eos qui non habent dominos principales.

8 ¶ Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit ab eccleſia excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit intra annum, extunc ipſo iure ſit factus infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia, vel ad eligendum aliquos ad huiuſmodi neque ad teſtimonium admittatur, ſit etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocumque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quòd ſi fortè iudex extiterit, eius ſententia nullam habeat firmitatem: nec cauſæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta per eum confecta, nullius penitus ſint momenti.

9 ¶ Nauigia quocumque locorum peruenerint, ſiquo caſu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram peruenerint, tam nauigia ipſa, quàm nauigantium bona illis integra reſeruentur ad quos ſpectabant, antequàm nauigium illud periculum incurriſſet, ſublata omnium locorum penitus conſuetudine, quæ huic aduerſatur ſanctioni: niſi talia ſint nauigia, quæ piraticam exerceant prauitatem, aut ſint nobis vel Chriſtiano nomini inimica. Tranſgreſſores vero huius noſtræ conſtitutionis, bonorum ſuorum publicatione multentur: & ſi res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum noſtrum modis aliis compeſcatur.

10 ¶ Omnes peregrini & aduenæ liberè hoſpitentur vbi voluerint: & hoſpitati, ſi teſtari voluerint, de rebus ſuis ordinandi liberam habeant facultatem: quorum ordinatio inconcuſſa ſeruetur. Si qui verò inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perueniat, ſed bona ipſorum per manus epiſcopi loci tradantur heredibus, ſi fieri poteſt: vel in pias cauſas erogentur. Hoſpes verò ſi aliquid de bonis talium contra hanc conſtitutionem noſtram habuerit, triplum epiſcopo reſtituat, cui viſum fuerit aſſignandum: non obſtante ſtatuto aliquo, ſeu conſuetudine, ſeu priuilegiis, quæ hactenus contrarium inducebant. Si quis autem contrà præſumpſerint, eis de rebus ſuis teſtandi interdicimus facultatem: vt in eo puniantur, in quo deliquerint: aliàs prout culpæ qualitas exegerit, puniendi.

11 ¶ Agricultores, & circa ruſticitatem occupati, dum villis inſident, dum agros colunt, ſecuri ſint quacumque parte terrarum: ita vt nullus inueniatur tam audax, qui perſonas, vel boues, agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit quod ad operam ruſticalem pertinet, inuadere, capere, aut violenter auferre præſumat. Si quis autem huiuſmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumpſerit, in quadruplum ablata reſtituat, infamiam ipſo iure incurrat, imperiali animaduerſione nihilominus puniendus.

Nos verò Honorius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, has leges à Friderico Romanorum Imperatore filio noſtro chariſſimo pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus, approbamus & confirmamus, tamquam in æternum valituras. & ſi quis auſu temerario, inimico humani generis ſuadente, quocumque modo has infringere tentauerit: indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ſe nouerit incurſurum.

EXTRAVAGANTES QVAS nonnulli XI. collationem appellant.

## QVOMODO IN LAESAE MAIESTATIS CRIMINE PROCEDATUR.

TITVLVS I.

*Henricus ſeptimus, diuina fauente gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.*

AD reprimendum multorum facinora qui ruptis totius debitæ fidelitatis habenis aduerſus Romanum Imperium, in cuius tranquillitate totius orbis regularitas requieſcit, hoſtili animo armati conantur nedum humana, verumetiam diuina præcepta, quibus iubetur, quòd omnis anima Romanorum principi ſit ſubiecta, ſceleratiſſimis facinoribus & aſſiduis rebellionibus demoliri: ne ex eorum abſentia, in deteſtando læſæ maieſtatis crimine proceſſus & ſententia retardentur, & tanti ſceleris nefanda temeritas remaneat impunita: Hac edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege ſancimus, vt in quocumque læſæ maieſtatis crimine, & maximè vbi contra Romanorum imperatores vel reges aliquid quod dictum tangat aſſeratur commiſſum, poſſit procedi per accuſationem, inquiſitionem, ſeu denunciationẽ, ſummariè & de plano, ſiue ſtrepitu & figura iudicij, prout illi qui iuriſdictioni præeſt videbitur expedire. Adhoc, ſi qua communitas, corpus, vel collegium, vel alia quæuis perſona, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtat, ſuper dicto crimine per nuncium, vel per literas, ſeu etiam per edictum publicè propoſitum citata, vel citatum neglexerit in termino perſonaliter, vel legitimè comparere: contra ipſam vel ipſum perinde ac ſi præſenti aliter omnibus intereſſet, vel lis foret legitimè conteſtata, tam ad receptionem teſtium, &

eorum publicationem, & ſequentia, quàm ad definitiuam ſententiam, & eius executionem procedatur: legibus & conſuetudinibus non obſtantibus quibuſcumque. Hanc autem generalem legem noſtram extendi iubemus ad præterita, præſentia & futura: quam legem ex nunc abſque alterius temporis expectatione tranſcurſus ſuum integrum vigorem decernimus obtinere.

## QVI SINT REBELLES.

### TIT. I.

*Idem ad perpetuam rei memoriam.*

QVoniam nuper eſt ad auditum noſtrum deductum, quòd inter nonnullos fideles & ſubditos noſtros prouinciæ Lombardiæ, aliorumque locorum Italiæ diſceptationes & dubia ſæpius oriuntur, an infidelis & rebellis imperij quiſquam reputari debeat, niſi prius per noſtræ maieſtatis ſententiam condemnatus appareat: & nos attendentes quod acta praua malorum potius quàm verba ſententiarum ipſos faciunt pœna condignos, & eo ipſo quod quis peccat, correctionem meretur: & quanto plus differtur punitio, tanto amplius culpa creſcit, & gentibus pernicioſius in exemplum tranſit: Tenore præſentium declaramus, decernimus, & pronuntiamus, quòd illi omnes & ſinguli ſunt rebelles, & infideles noſtri imperij, qui quomodocumque publicè vel occultè contra noſtrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt; & contra noſtri imperij proſperitatem aliquid machinantur: contra nos, ſeu officiales noſtros, in iis quæ ad commiſſum eis officium, pertinent, rebellando. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam declarationis & pronunciationis infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem noſtram, & pœnam mille librarum noſtræ cameræ ſoluendarum ſe nouerit incurſurum. Data Piſis III. Nonas Aprilis: regni noſtri anno V. M.CCCXII.

## LIBER DE PACE CONSTANTIAE

composita inter Imperatorem Fridericum & filium eius Henricum, & quoſdam nobiles Alemaniæ ex vna parte, & ciuitates Lombardiæ, Marchiæ, & Romandiolæ, ex altera.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & filius eius Henricus, ſextus Romanorum rex, Auguſtus. Imperialis clementiæ immenſa ſerenitas manſueta, eam ſemper in ſubditis ſuis diſpenſationem fauoris & gratiæ habere conſueuit, vt quamuis diſtricta ſeueritate exceſſuum delicta debeat & poſſit corrigere, magis tamen ſtudeat propitia tranquillitate pacis & piis affectibus miſericordiæ Romanum imperium regere, & rebellium inſolentiam ad debitam fidem, & debitæ deuotionis obſequium reuocare. Eapropter cognoſcat vniuerſitas fidelium imperij tam præſentis ætatis, quàm ſucceſſiuæ poſteritatis. quòd nos ſolita benignitatis noſtræ gratia, ad fidem & deuotionem Lombardorum, qui aliquando nos & imperium noſtrum offenderant, viſcera nobis innatæ pietatis aperientes, eos & ſocietatem ac fautores eorum in plenitudinem gratiæ noſtræ recipimus, offenſas omnes & culpas quibus nos ad indignationem prouocauerant, clementer eis remittentes, eóſque propter fidelia deuotæ ſinceritatis ſeruitia, quæ nos ab eis credimus certiſſimè recepturos, in numero dilectorum noſtrorum fidelium computandos cenſemus. Pacem itaque noſtram quam eis clementer indultam conceſſimus, præſenti pagina iuſſimus ſubſcribi, & auctoritatis noſtræ ſigillo communiri: cuius eſt hic tenor & ſeries.

Nos Romanorum Imperator Fridericus, & filius noſter Henricus Romanorum rex, concedimus vobis ciuitatibus locis & perſonis ſocietatis regalia & conſuetudines noſtras tam in ciuitate quàm extra ciuitatem, videlicet Veronæ & caſtro eius, ſuburbiis etiam, & aliis ciuitatibus & ſuburbiis, locis & perſonis ſocietatis in perpetuum, videlicet vt in ipſa ciuitate omnia habeatis ſicut hactenus habuiſtis, vel habetis Extra verò omnes conſuetudines ſine contradictione noſtra exerceatis, quas ab antiquo exercuiſtis vel exercetis tam in foro, vel in nemoribus & paſcuis, & pontibus: aquis & molendinis, ſicut ab antiquo habere conſueuiſtis, vel habetis in exercitu. In munitionibus ciuitatum, in iuriſdictione, tam in cauſis criminalibus, quàm in cauſis pecuniariis intus & extra, & in cæteris, quæ ad commoditatem ſpectant ciuitatum.

Volumus vt regalia quæ vobis non conceſſimus, in hunc modum cognoſcantur per epiſcopum loci, & homines tam de epiſcopatu quàm de ciuitate eligantur viri bonæ opinionis, & qui ad hoc idonei eſſe credantur: tales qui nec contra ciuitatem, nec noſtram maieſtatem priuato vel ſpeciali odio teneantur, qui iurent quòd bona fide & ſine fraude perquirent, & inquiſita conſignabunt ea quæ ſpecialiter ad noſtram excellentiam ſpectant. Si autem huic inquiſitioni ſuperſedendum eſſe putauerint: cenſum duorum milium marcharum argenti per ſingulos annos petimus. Attamen competenti moderatione moderabimur etiam quantitatem iſtam, ſi enormis viſa fuerit. Si quis autem ſuper his quæ vobis conceſſimus vel permiſimus, ſiue in ciuitate, vel extra ciuitatem, querimoniam apud maieſtatem ipſam depoſuerit: eius querimoniam non admittemus, & ſilentium ei imponemus.

Hoc quod nos vel noſter anteceſſor rex vel imperator epiſcopis, eccleſiis, vel ciuitatibus, vel aliis quibuſcumque perſonis, clericis vel laicis ante tempus guerræ dedit, vel quolibet conceſſionis titulo conceſſit, firmum & ratum habemus, ſaluis ſuperioribus conceſſionibus, vt pro ea ſolita nobis ſeruitia exhibeantur: ſed cenſus non præſtetur.

Commoditates quas pro bono pacis ciuitatibus conceſſimus in ciuitatibus: vel extra, illorum regalium nomine non intelligimus, pro quibus cenſus debeat præſtari.

PRIVILEGIA omnia & data, & conceſſiones quæ in priuilegium vel damnum ciuitatum, vel locorum, vel perſonarum ſocietatis occaſione guerræ in alicuius iniuriam prædictorum à nobis, vel nunciis noſtris indulta ſunt, caſſentur, & in irritum deducantur. In ciuitate illa in qua epiſcopus per priuilegium Imperatoris vel regis comitatum habet: ſi conſules per ipſum epiſcopum conſulatum recipere ſolent, ab ipſo recipiant, ſicut conſueuerunt recipere: alioqui vnaquæque ciuitas à nobis conſulatum recipiat. Conſequenter verò in ſingulis ciuitatibus conſules conſtituentur à nuncio noſtro qui ſit in ciuitate vel epiſcopatu: & inueſtituram recipient, & hoc vſque ad quinquennium. finito quinquennio vnaquæque ciuitas à nobis recipiat, & intra quinquennium à nuncio noſtro, ſicut dictum eſt, niſi in Lombardia fuerimus: tunc enim à nobis recipiet. Eadem obſeruentur in ſucceſſore noſtro. Et omnes inueſtituræ gratis fiant. Cùm autem nos Imperator diuina vocatione deceſſerimus, vel regnum filio noſtro conceſſerimus, ſimili modo à filio noſtro, vel eius ſucceſſore inueſtituram recipietis.

IN cauſis appellationum, ſi quantitas vigintiquinque librarum imperialium ſummam exceſſerit,



appellatio ad nos fiat: ſaluo iure & moribus Brixienſis eccleſiæ in appellationibus: ita tamen, vt non cogantur in Alemaniam ire: ſed nos habebimus proprium nuncium in ciuitatibus, vel epiſcopatu, qui de ipſa appellatione cognoſcat, & iuret quòd bona fide, & ſine fraude cauſas examinabit & definiet ſecundum leges & mores ipſius ciuitatis, intra duos menſes à conteſtatione litis, vel à tempore appellationis receptæ: niſi iuſto impedimento, vel conſenſu vtriuſque partis remanſerit. Conſules qui in ciuitatibus conſtituentur, tales ſint qui fidelitatem fecerint nobis, vel faciãt antequam conſulatum recipiant.

1 ¶ Vaſalli noſtri à nobis inueſtituram recipiãt, & fidelitatem faciant ſicut vaſalli, cæteri omnes ſicut ciues à ſedecim annis vſque ad ſeptuaginta: niſi tales perſonæ ſint, quibus debeant & poſſint ſine fraude ſacramenta remitti. Vaſalli, qui tempore guerræ vel treugæ non poſtulauerint inueſtituram, vel debita ſeruitia nobis non exhibuerint, hac occaſione feudum non amittant. Libellariæ & precariæ in ſuo ſtatu permaneant, ſecundum conſuetudinem vniuſcuiuſque ciuitatis, non obſtante lege noſtra, quæ dicat, Imperatoris Friderici damna omnia & ablata: etiam iniurias quas nos per nos & per noſtros ab vniuerſitate ſocietatis, vel ab aliquo de ſocietate, vel coadiutoribus ſocietatis ſuſtinuimus, per nos cum noſtra parte remittimus gratis, & plenitudinem noſtræ gratiæ eis damus. Moram ſuperfluam in ciuitate vel epiſcopatu pro damno ciuitatis non faciemus. Ciuitates munire, vel extra munitiones facere eis liceat. Item ſocietatem quam nunc habent, tenere, & quoties voluerint renouare eis liceat. Pactiones timore noſtro, vel per impreſſionem nunciorum factæ caſſentur, & pro infectis habeantur, nec pro eis aliquid exigatur. Pacta Placentinorum, ſcilicet pactũ pontis Padi, & fictum eiuſdem pontis, & regalium & datium, & pactum quod epiſcopus Hugo fecit de caſtro, Arquato, & ſi aliqua facta ſunt ſimilia ab ipſo epiſcopo, vel à communi, vel ab aliis de ſocietate nobiſcum, vel noſtro nuncio, ipſo ponte remanente cum omnibus ſuis vtilitatibus Placentinis: ita tamen quod teneantur, perſoluere ſi tum abbatiſſæ ſanctæ Iuliæ de Brixia, & ſi quæ ſunt ſimiles.

*Dicit quod ſententiæ per imperatorem latæ contra rebelles occaſione rebellionis & partialitatis, reſcindantur facta pace.*

¶ Sententiæ quoque quæ de iure & ſecundum leges & conſuetudines cõtra aliquem vel aliquos de ſocietate latæ ſunt, teneant, ſicut de iure contra eos tenerent, ſi gratiam noſtram non habuiſſent. Quæ verò contra aliquem vel aliquos de ſocietate latæ ſunt occaſione guerræ ſeu diſcordiæ, in irritum deducantur. Poſſeſſiones omnes quas quiſque de ſocietate tempore guerræ tenebat iuſtè, ſi per vim ablatæ ſint ab eis qui de ſocietate non ſint, cum fructibus & ſine damno reſtituantur: vel ſi eas recuperauerit, quietè poſſideat: niſi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis aſſignentur. Opizoni marchioni omnem offenſam, quam nobis vel alicui partis noſtræ fecerit, poſtquam in ſocietate fuerit, vel per ſe, vel per aliquã perſonam cum ſocietate, vel defendendo aliquem de ſocietate, imperiali clementia per nos & noſtram partem remittimus, & in plenitudinem noſtræ gratiæ eum recipimus: nec per nos, nec per interpoſitam perſonam pro præteritis offenſis ſibi vel parti ipſius aliquam inferemus iniuriam; læſionem, vel coërcitionem. Amplius eam iuriſdictionem quam Mediolanenſes exercere conſueuerunt in comitatibus Sepri & Mattesanæ & Burgariæ, & in aliis comitatibus exceptis, locis quæ Pergamenſes nomine noſtro tenent inter Alduam & Oleum, excepto Romano veteri & Bariano, & eam quam modo exercent, liberè & quietè habeant & poſſideant, ſine contradictione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum, ſaluis pactis & datis, & conceſſionibus in ſuo robore durantibus, quæ Mediolanenſes per commune fecerunt ciuitatibus Pergamo, Nouariæ, & Lando: nec per hanc conceſſionem lædendis: nec vllum præiudicium fiat iuri aut conſuetudini alicuius ciuitatis & ſocietatis præter dictas conceſſiones. Pacta inter ciuitates & ſocietates quondam facta nihilominus firma & illibata permaneant: nec aliquid intelligatur acquiſitum Mediolanenſibus in epiſcopatu Laudenſi præter dictas conceſſiones: ſaluo iure aquæ Lambri Mediolanenſibus, ſi quod habent, vel in pedagio. Omnes de ſocietate qui fidelitatem nobis iurabunt, in ſacramento fidelitatis adiicient, quod poſſeſſiones & iura quæ nos habemus in Lombardia, & poſſidemus extra ſocietatem, iurabunt bona fide nos manu tenere, ſi opus fuerit, & cùm ſuper hoc per nos, vel per certum nuncium noſtrum fuerint requiſiti: & ſi amiſerimus, recuperare: ita videlicet quòd finitimæ ciuitates obnoxiæ ſint principaliter ad hoc faciendum: & ſi opus fuerit, aliæ teneantur ad competens auxiliũ præſtandum.

Ciuitates quæ ſunt extra Lombardiam in ſuo confinio, ſimiliter teneantur facere. Si qua verò ciuitatum ea quæ in conuentione pacis ex parte noſtra ſtatuta ſunt, non obſeruauerit: cæteræ ciuitates eam ad id obſeruandum bona fide compellant: pace nihilominus ſuo robore permanente. Nobis autem intrantibus Lombardiam, fodrium conſuetum & regale, quæ ſolent & debent, præſtabunt & vias & pontes bona fide & ſine fraude & ſufficienter reficient: in eundo & redeundo mercatum ſufficiens nobis & noſtris euntibus & redeuntibus bona fide, & ſine fraude præſtabunt: in omni decimo anno fidelitates renouabunt in eis qui eas nobis non fecerunt, cùm nos petierimus vel per nos, vel per noſtrum nuncium. Si qui ex parte noſtra de ſuis iuſtis poſſeſſionibus expulſi ſunt, reſtituatur ſine fructibus & damno: niſi in cauſa principali ſuæ proprietatis iure poſſit ſe tueri poſſeſſor: ſaluis prioribus conceſſionibus: & omnes offenſæ eis remittantur: eodem iure ſeruando iis qui ſunt ex parte noſtra circa reſtitutionẽ: niſi ciuitas adſtringatur iuramento, vt non reſtituat quo caſu arbitrium boni viri volumus pro reſtitutione ſuccedere. & ſi qua controuerſia fuerit orta de feudo inter nos & alium qui ſit de ſocietate, per pares illius ciuitatis, vel epiſcopatus in quo deſcendit, agetur: & ſecundum conſuetudinem illius ciuitatis in eodem epiſcopatu terminetur; niſi nos in Lombardia fuerimus. tunc enim in audientia noſtra, ſi nobis placuerit, agitabitur. Item volentibus venire contra pacta non per violentiam facta, & iuramento firmata inter ciuitates & ciuitates, ſocietates & ſocietates, vel ciuitatem & alias perſonas, nos audientiam denegabimus. Item nos reſtituimus ſtratam Veronenſibus: & nominatim recipimus Ozolinum in plenitudinem gratiæ noſtræ, & omnem offenſam ei remittimus. Datum apud Conſtantiam ſolenni curia VII. Kalendas Iulij.

*Sequentia deſunt in editione Cuiacij.*

HAnc igitur ſecundum formam præſcriptam, & vt per mediatores pacis, videlicet Gulielmum epiſcopum Diſcenſem, Henricum Marchionem Sarnenſem, fratrem Fridericum de ſylua benedicta, & Rodulphum camerarium noſtrum, vna cum his bona fide intelleximus,

& ſecundum tenorem, quo eandem pacem & concordiam iurari fecimus, & ſecundum quod Lombardi eam bona fide intellexerunt, in perpetuum ratam haberi, & conſeruari ſtatuimus: & vt firma permaneat & inconcuſſa, præſentem paginam, noſtri impreſſione ſigilli fecimus communiri.

Nomina verò ciuitatum quibus ſic gratiam noſtram reddidimus, & præſcriptam fecimus conceſſionem ſeu promiſſionem, hæc ſunt: Vercellæ, Nouaria, Mediolanum, Laude, Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, Vincentia, Padua, Teruiſium, Bononia, Fauentia, Mutina, Rhegium, Parma, Placentia. Iſtis autem ciuitatibus & locis pacem ſeruari volumus, & gratiam noſtram reddimus. Præſcriptam autem conceſſionem ſeu promiſſionem his non facimus, videlicet Imolæ, Caſtro ſancti Caſſiani, Bobio, Pleti de Guarbadona, Ferotræ, Belutiæ, Teneτæ. Ferrariæ autem gratiam noſtram reddimus, & præſcriptam conceſſionem facimus ſeu promiſſionem, ſi intra duos menſes poſt reditum Lombardorum à curia noſtra de pace præſcripta fuerint.

Hanc itaque pacem & concordiam, ſicut præſcriptum eſt, tam nos, quam filius noſter Henricus Romanorum rex, per camerarium noſtrum Rodulphum iurari fecimus in animam noſtram.

Hi autem ſunt principes & nobiles curiæ, qui præſcriptam pacem & concordiam per ſe firmam tenere iurauerunt: Hermannus Monaſter, epiſcopus, Henricus Cirnenſis electus, Ciralinus Curienſis, Abbas Gotifredus imperialis aulæ cancellarius. Otto dux Bauariæ, Fridericus dux Surnomæ, filius noſter Bertholdus dux Zaermoez, Bertoldus, marchio Hiſtriæ, Hermanus marchio Veron. Comes Henrices dux Spleten, Comes Theopobus de Lexchomiende, Comes Ludouicus, frater cancellarij de Olfeſtre, Rodulphus camerarius, Guarnerius de Lombardia, Cano de Minabere, Corradus Pincerna.

Hi ſunt nuncij qui ex parte Longobardorum pacem præſcriptam & concordiam receperunt, & in præſentia noſtra iuramento confirmauerunt. De Metholano, Guido de Landriano, Pinamonte de Vicomercato, Adobatus Bultraſſus, Gulielmus Burrus, Guercius de Buxolla, Aldericus de Bonate, Rogerius Marcellinus, Loterius Medicus. De Brixia, Obrandus de Martinengo, Gozed de Turbiado, Deſiderius Iudex, Rodulphus de Concipio, Boccatius de Manerbio, Albericus de Caprino, De Placentia, Girardus de Artizone, Iacobus Striſtus, Hermannus de Carnocampo iudex. De Pergamo, Albertus. De Mapello, Attoſicianus, Ioannes de Piterigo, Lanfrancus de Monacha, Albertus Attonis, Albertus Albertonis. De Verona, Corus iudex, Vbertinus de Carcere, Valerianus de Caſtello, Martius de Caſtello, Theobaldinus de Nicando, Theobaldinus de Naſcenguerra. De Vincentia, Pileus iudex, Vbertinus de Fonte viuo, Cardenarius Marchus de Pauliana. De Padua, Ianſuxellinus iudex, Bugeleſcus de Fonte Glina. De Teruiſio, Florius Iudex Gumbertinus. De Mantua, Alexandrinus, Iacobus de Amica, Angelus iudex, Henricus de Angelo. De Fauencia, Bernardus iudex, Hugolinus de Azo. De Bononia, Antonius poteſtas, Rolandus Guarini, Matthæus Rodulphi. De Mutina, Arlotus iudex, Reinerius de Buccacabata. De Rhegio, Albertus cambiator, Rolandus de Chariſate. De Parma, Iacobus Petri Braui. Mallobatus iudex, Vetulus iudex, Corradus Manzoni. De Laude, Vincentius de Siſiraga. Anſelmus de ſumma ripa. De Nouaria, Opizo de Briona, Tudiaius Cabalacius, Gerardus de Buſſprando. De Vercellis, Meardus & Vercellinus.

Hæ autem ſunt ciuitates & loca, quæ pacem præſcriptam ſub iuramento Lombardorum nobiſcum receperunt, & eandem per ſe iurauerunt: Papia, Cremona, Communiterdona, Aſta, Cæſarea, Ianua, Alba, & aliæ ciuitates, & loca, & perſonæ quæ ſunt, & quæ fuerunt in pace noſtra.

Hæc autem ſunt nomina nunciorum, qui inueſtituram conſulatus à nobis nomine ciuitatum receperunt. De Mediolano, Adobatus. De Placentia, Gaardus Attizonus. De Laude, Vincentius Corno. De Vincentia, Pileus. De Padua, Ianſus. De Teruiſio, Florius. De Mantua, Alexandrinus. De Fauentia, Bernardus. De Bononia, Antonius. De Mutina, Ariotus De Rhegio, Rolandus. De Parma, Iacobus Petri Braui. De Nouaria, Opizo. De Vercellis, Meardus. De Pergamo, Atoficiarius.

Signum domini Friderici Romanorum inclytiſſimi imperatoris. Ego Gotifredus imperialis aulæ cancellarius vice Chriſtiani Maguntinæ ſedis archiepiſcopi, & Germaniæ archicancellarij recognoui.

Acta ſunt hæc anno incarnationis milleſimo cẽteſimo octageſimotertio: indictione prima: regnante domino Friderico Romano imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius octageſimoſecundo, imperij verò triceſimonono. Datum apud Conſtantiam in ſolemni curia, VII. Kal. Iulij.

In Chriſti nomine iuro ego quod amodo ero fidelis domino imperatori Friderico, & eius filio regi Henrico, non ero in conſilio vel facto, quod ipſi perdant vitam vel membrum, aut mentem, ſeu coronam imperij, vel regni, vel caput. & ſi ſciuero aliquem feciſſe, vel facere volentem: per me vel per alium domino imperatori, vel regi, vel nuncio eius, ſine fraude manifeſtabo eis, & adiuuabo honorem coronæ tenere: & ſi perdiderit, recuperare bona fide in exercitu & comitatu adiuuabo. Inſuper pacem domini imper. Friderici, & alij eius regis Henrici, & ſuæ partis factam cum ſocietate Lombardiæ, & eius ſocietatis, ſicut ſcriptum eſt inde ſine fraude intra quindecim dies poſt iurata bono intellectu, & ſigillo imperatoris ſigillata obſeruabo bona fide, & ſine fraude, & hoc iurare faciam omnes maſculos mecum habitantes à decimoſexto anno ſupra vſque ad ſeptuageſimũ, intra quindecim dies poſtquam iuratum habuero: exceptis ſeruis, & qui per me iurare noluerint, intra tertiam diem imperatori, vel regi, vel ſuis nũtiis manifeſtabo per breue. Milleſimo centeſimo octogeſimotertio, indictione prima. Ego iuro omnibus ciuitatibus ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & locis, & domino Opizoni Marchioni Malaſpinæ, & omnibus perſonis prædictæ ſocietatis, conceſſiones & permiſſiones atque pacta, ſicut in ſcripto pacis interj nuntios domini imperatoris, & rectores & nuncios ciuitatum ſocietatis Lombardiæ facto continetur, firmas tenere: nec ero in conſilio vel facto vbi aliquid prædictorum minuatur alicui de ſocietate: & ſi qua perſona aut ciuitas, vel locus alicui ciuitati, vel loco, aut perſonæ prædictæ ſocietatis, aut iam dicto marchioni auferre, vel deminuere voluerit, eos vel eas manutenere, & defendere bona fide ſine fraude contra omnes adiuuabo: & omnia præcepta quæ rectores concorditer omnes, vel maior pars mihi fecerint, ſine fraude obſeruabo: & omnia ſupradicta attendam à Kalendis Maij vſque ad triginta annos: & in capite vniuſcuiuſque quinquennij, ſcilicet ſi per maiorem partem rectorum requiſitus fuero, renouabo: & hoc totum ſine fraude iurare omnes homines meæ ciuitatis à decimooctauo anno vſque ad ſeptuageſimum faciam, & hæc

omnia



omnia faciam iurare conſules vel poteſtates meæ ciuitatis, & credentias vſque ad illum terminum, qui mihi conſtitutus fuerit per rectores Lombardiæ & Marchiæ, & Romaniæ, in hoc eloquio:

Die Lunæ vndecimo Kal. Ianuarij in Placentia in eccleſia ſanctæ Brigidæ, in præſentia Marabelli, Gulielmi, Garonij notarij, ibique in eorũ præſentia rectores Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, fecerunt prædictum ſacramentum: nomina quorum ſunt hæc: De Brixia Aldericus de Salla. De Verona Vozo iudex. De Bononia Prende parte poteſtas. De Padua Bazotus. De Nouaria Rogerius Marcellinus poteſtas. De Teruiſio Oldericus de Montelio. De Mantua Gulielmus de Azo. De Placentia Bonizo iudex. De Pergamo Albertus de Oſſa Poteſtas. De plebe de Granatina Petrus Collus Iudex. De Fauentia Gulielmus Butinus poteſtas. De Mediolano Petrus vicecomes.

Hæc ſunt nomina eorum qui iurauerunt, vt ſuperius legitur, vt dicti rectores iurauerũt: eo excepto, quòd non fuerunt diſtricti facere iurare homines ſuæ ciuitatis. De Brixia, Deſiderius iudex, Martinus de Potenalupi, Pax Conſalonerius. De Padua, Guaniphus Achalaone. De Verona, cancellarius Greſcenonum, & Viuianus aduocatorum. de Teruiſio, Trauiſius de Gualperto. De Pergamo, Lãfrancus, Monancha, Oprandus iudex, Ioannes de Petengo. De Nouaria, Fridericus de Bon. Michaël Capra. De Mutina, Rolandus de Balmonte. De Garino, Blinalellus de Garbonenſibus. De plebe de Granatoria Gregorius conſul ita iurauit, ſuus rector. De Fauentia, Anteus iudex: anno à natiuitate domini 1180. indictione prima: & poſtea ſequenti die martis, 12. Kalend. Ianuarij Armanus de Parma rector idem ſacramentum fecit, vt pridem rectores fecerunt: & Albertus de Theobaldo ſimiliter.

FINIS.

# REGVLÆ ET SENTENTIÆ

## IVRIS TAM ANTIQVI QVAM noui ex vniuerſo corpore Iuris Ciuilis ſparſim collectæ & in ordinem alphabeticum digeſtæ:

*Opera & ſtudio Iohannis Hennequinij nobilis & Iuris vtriuſque Doctoris.*

A

A Communibus regulis propter cauſam aliquando recedendum, l.ſi domum,§ qui confitetur delegatis 1.

A falſo procuratore geſtum ratihabitione confirmatur l.licet.ff.de iudiciis

A maioribus & minor. iudicibus,præterquam à profecto prætorio appellatur. l.à proconſulibus C.de appellat.

A præfecto prætorio appellare non licet.l.vnica.ff. de officio præfecti prætorio.

A ſententia arbitri non appellatur,l.1. Cod.de recep arb.

A ſubſtituto exheredati , legari , vel fideicommitti non poteſt,l. cùm quidam , C.de codicillis

A ſucceſſione filij poſtea facti adulti exceptio tutoris non petiti,matrem non excludit,l.matres, C.ad Tertyllian.

Ab arbitri ſententia non appellatur, l.non diſtinguemus §. cùm quidam,ff.de receptis arbitris

Ab interlocutoria ſententia ante definitiuam non appellatur,l.ante ſententiæ,C.quorum appella. non recip.

Ab executione ſententiæ diffinitiuæ non appellatur , niſi executor modum executionis excedat,l.ab executione , Cod. quorum appel.non recip.

Ab arbitri perſona non eſt recedendum , l. ſi quis arbitratu, ff.de verborum obligationibus.

Ab exheredati ſubſtitutio inutiliter legatum datur,l.126 de legatis 1.

Ab executione proceſſus non incipiendus,l.1.Cod. de execut.rei iudic.

Ab vltimis voluntatibus ad contractus argumentari poſſumus,l.46.de legatis 1.

Abſolutoria ſententia abſentibus accuſatoribus lata,ipſo iure nulla eſt , l.ſi accuſatoribus, C.de accuſat.& inſcript.

Abſque ſcriptura dos nudo pacto conſtituitur,l.ad exactionem,C.de dotis promiſſione

Abſtinendum ab omni vi & iniuria, l.1.§. 1. quod vi aut clam

Abſurdum eſt illum iuuare qui de lucro captando certat,l.ſcimus,§. Etſi præfatam.Cod.de iure deliberandi

Abſurda omnia reiicienda, l. nam abſurdum de bonis libertorum.

Acceptilatio pro ſolutione eſt, l.81. §. ſi Titio,de legatis 1.

Accuſator ad pœnam talionis ſe inſcribere tenetur,l.qui crimen,Cod.qui accuſ.non poſſ.&c.

Acta à procuratore videntur acta à domino, l.1.ff. de offic.procuratoris Cæſaris

Actio famoſa conſtante matrimonio non competit aduerſus vxorem,ſed actio in factum,l.diuortij, C.ne fideiuſſor vel mandator dotis.

Actio ex teſtamento æquiparatur actionibus bonæ fidei licet ſit ſtricti iuris , l. in minorem. C. in quibus cauſis.

Actio de dolo cum alia actione non concurrit,l.de dolo C.de dolo.

Actio in factum ex æquo & bono conceditur, l.48. de legatis 1.

Actio quanti minoris ſex menſibus competit, l.ædiles,ff.de ædil.edict.

Actor forum rei ſequitur,l.actor , Cod.vbi in rem actio.

Actore non probante reus abſoluitur, l.res alienas C.de rei vindic.

Ad certam partem fundi ſeruitus tam remitti quàm conſtitui poteſt,l.ſecunda de ſeruitutibus

Ad conducendum vectigal nemo inuitus compellitur,l.locatio,ff.de publicanis

Ad conſequentias non producenda quæ contra iuris rationem introducta , l.quod verò, ff. de legibus

Ad conſtituenda ſponſalia ſufficit nudus conſenſus l.ſufficit,ff.de ſponſalibus

Ad decus vrbium pertinet ædificia non derelinqui,l.prætor ait,l. deinde,ff.de noui operis nunciatione

Ad deterrendos animos hominum à delictis,pœnæ imponi debent,l.cùm ſeruum, C.de ſeruis fugitiuis

Ad furem ſemper ſpectat periculum interitus,l.licet.ff de condictione furtiua

Ad impoſſibile nemo obligatur,l.l. ſi quis in graui ad Syllanianum

Ad matrimonium probandum inſtrumenta non ſunt neceſſaria.l.neque ſine nuptiis,Cod.de nuptiis

Ad munerum qualitatem xenia producenda non ſunt,l.ſolent.in fi.ff.de officio proconſulis

Ad reſcindendum aliquod factum,non poteſt quis ſuam turpitudinem allegare,l. ſi creditoribus, C.de ſer.pign.

Ad ſignificandas



Ad ſignificandas res vocis miniſterio vtimur,l. Labeo ff.de ſuppellectile legata.

Ad vnum finem inducta contrarium non operantur l.legato inutile de adimendis legatis.

Ademptio legati ob inimicitias & iniurias illatas, contingit,l.9.ff.de his quibus vt indignis auferuntur.

Adiuuari nos non decipi beneficio oportet iter,ff. commodato §.igitur.ff commodati.

Adoptio ſequitur naturam , l.16.ff. de adoptionibus

Adoptatus ab extraneo in eius poteſtatem non redigitur,l cùm in adoptiuis.C.de adopt.

Aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere,l.itaque.ff.ad leg.Aquil.

Aduerſus patrem actiones filio non dantur,l.actiones,ff.de obligat.& actionib.

Adulterum & furem licet occidere qui telo ſe defendit,l.nec minorem

Aedificium cedit ſolo, l.ſi inferiorem. C. de rei vendicatione.

AEquitas iuris ſcrupuloſitati nimiæque ſubtilitati præfertur,l.poſthumus,ff.de iniuſto rupto

AEquitas rigori præferenda.l. placuit.C. de Iudiciis

AEquum eſt vt qui participat lucrum,participet & damnum,l.ſi igitur,ff.pro ſocio.

AEſtimatio liberi hominis peti non poteſt,l.44.ff. de legat.

AEſtimatio facit periculum eius qui rem accepit, l.1.ff.de æſtimatoria actione.

AEſtimationem iudex ex veritate facere debet,l.ſi tertius, §.officium,ff.de aqua pluuia arcenda.

AEſtimatio rei emptionem inducit,l. cum dotem, C.de iure dot.

Affinitatis iure nulla ſucceſſio admittitur, l.affinitatis,C.communia de ſucceſſionibus.

Afflicto non debet dari afflictio,l. diuus de officio præſidis.

Agenti depoſiti non obiicitur compenſationis exceptio,l.ſi quis,C.depoſiti.

Agnoſcens legatum debet parere iudicio defuncti,l.ſi te donatam,Cod. de fideicommiſſa libertate.

Alieno odio nemo prægrauatur,l. ſi quis in ſuo,§. legis,C.de inoff teſtam.

Alienationi rerum minoris decretum ex falſa cauſa accommodatum ipſo iure nullum eſt, l.etſi præſes,C.quando decreto.

Alienatio ex voluntate teſtatoris facta etiam abſque decreto ſubſiſtit, l.1.& l.3. C.quando decreto.

Aliena res pignori dari ex voluntate domini poteſt,l.alien.1.ff de pignoratitia actione.

Allegans aliquam qualitatem, eam probare debet, antequam vlterius procedatur, l.non ignorat, C. qui accuſ.non poſſ.

Alterius factum alteri non obeſt, l. de pupilli.§. ſi plurimi de operis noui nuntiatione.

Alteri nemo ſtipulari poteſt niſi eius perſonæ ſubiectus.l. ſtipulatio §.alteri,ff.de verborum obligationibus.

Ambigua oratio contra venditorem interpretanda, l.cùm in lege,ff.de contrahend.empt.

Ambiguitas contra ſtipulatorem interpretanda , l. 26.ff.de reb.dub.

Ambulatoria voluntas defuncti vſque ad vitæ ſupremum exitum , l.quarta de adimendis legatis.

Amiſſum non intelligitur quod ablatum alteri nō eſt,l.nec vitam,ff.quibus cauſis maior.

Amplius ad reuocationem non admittuntur ſi alienationi conſentiunt qui reuocare poſſunt, l. quotiens,C.de fideicommiſſis.

Annuum legatum primo anno purum ſequentibus conditionale eſt,l.ſi in ſingulos de annuis legatis.

Ante definitiuam ſententiam vexandi aduerſarij cauſa non licet appellare,l. ſi clericus C. de Epiſc. audiend.

Antiqua regula eſt heredem heredis,teſtatoris,heredem eſſe,l.cum in liberis de heredibus inſtituendis.

Antiqua forma in ſeruitutibus ſeruanda, l.ſi manifeſtè,C.de ſeruitutibus & aqua.

Appellatio tam appellanti quam appellato communis eſt , ideóque vterque illa vti non prohibetur,l.ampliorem,C.quando prouoc. non eſt neceſſe

Appellationem à procuratore interpoſitam dominus proſequi poteſt,l.dominus,C.de appellationibus.

Appellatione filiorum naturales filij continentur,l libertinum , Cod.de interdicto matrimonio

Appellatione heredis veniunt heredes heredum in infinitum,l. in annalibus.de legat s

Appellatione pendente nihil pro ſententiæ executione eſt innouandū,l.appellatione,C.de tempo. &c.

Appellatione rei non genus ſed ſpecies,ſignificatur, l.ſi rem ff de rei vindicat

Appellatione debiti continetur naturale,l. quibus diebus §.dominus,ff.de conditionibus

Aquæ pluuiæ arcendæ actio non in rem ſed in perſonā eſt,l.ſi tertium, §.cuius ager ff. de aqua pluuia

Arbiter errans in ſententia corrigere eam non poteſt,l.quia arbiter ff.de receptis

Arma magis quàm iura milites ſcire oportet, l.ſcimus,C de iure deliberandi

Arte non conceditur quod naturaliter denegatur, l vbi repugnantia,§.1.de regulis iuris

Atrocitate facti metum probari conuenit,l.metum, C de his quæ vi metuſve cauſa

Auctoris dolus emptori non obiicitur, l. apud Celſum,§ auctoris, ff. de doli mali & metus exceptione

Auctoritas rei iudicatæ vim legis obtinet,l.37.

Authoritate propria nemo ſibi ius dicit,l.vnica,C. ne quis in ſua cauſa iudex

Authoritatem perfidiæ & periurij leges præſtare non debent,l.ſi minor , Cod.ſi aduerſus venditionem

Auxilium extraordinarium cum ordinario concurrit contra diuerſos,l.etiam , Cod. ſi tutor vel curator.

B

BEneficium à principe in alterius iniuriam non conceditur.leg. nec auus, Cod.de emancipatione liberorum

Beneficium reſtitutionis ex quacunque cauſa competens ad hæredem tranſmittitur, l. ex perſona, C.de temp in integrum reſtit.

Beneficium nemini debet eſſe oneroſum,l.filiusfa. ff.vt legatorum nomine caueatur.

Beneficium perſonale ad heredes non tranſit,l. quia tale,ff.ſoluto matrimonio.

Beneficium imperatoris pleniſſimè interpretandū, l.3.ff de conſtitutionibus

Binas nuptias contrahens infamis efficitur, l.neminem,C.de inceſtis nuptiis

Bona fides contractus legem ſeruari expoſcit, l.venditor,§.communia prædiorum.

Bonæ fidei poſſeſſores extantes tantùm fructus poſt litis conteſtationem vniuerſos præſtare debent,l. certum eſt,C.de rei vindicatione.

Bonorum poſſeſſor loco heredis eſt,l.1.ff.de poſſeſſoria hereditatis petitione

Bona voluntas plerumque reputatur pro facto l. ſi quis in teſtamento & l. vter in fine de conditionibus inſtitutionum

Bona tutoris vel curatoris pro geſtis vel non geſtis ſunt tacitè obligata pupillo vel adulto , l.

v 3

pro officio,C.de adminiſtratione tutorum

Benignius leges interpretandæ. l.benignius. ff.de legibus.

C

CAEteris paribus plus fauetur reo quàm actori. l.admonendi.ff.de iureiurando.

Calamitas cognatorum ad dolorem noſtrum porrigitur.l.2.ff.de liberali cauſa.

Calamitas matris ventri nocere non debet. l.ff.de ſtatu hominum.

Callidum commentum in exemplum coërceri debet.l. quamuis.ff. de rebus eorum qui ſub tutela ſunt.

Calumnioſa ſcriptura vim in iudicio habere non debet.l.2.ff.de fide inſtrumentorum.

Capite deminutus manet naturaliter obligatus.l. pertinet ff.de capite minutis.

Capitis minutione non ſubuertuntur quæ potius in facto quàm iure conſiſtunt.l.legatum.ff.de capite minutis.

Caro & Corium mortui pecoris in fructu non ſunt.l.caro.ff.quibus modis vſusfructus amittitur.

Caſus inopinati & fortuiti pertinent ad rerum dominos.l.argentum.ff.commodati.

Caſus fortuitus excuſat à pœna.l. præſes prouinciæ.C.de tempo.&c.

Cauſa in integrum reſtitutionis etiam per procuratorem agi poteſt.l.vnica.Cod.etiam per procuratorem.

Cautio fideiuſſoria pro conſeruanda dote præſtari vel exigi non debet.l.generali.Cod. de fide iuſſor.vel mand.

Cautionis verbo nuda promiſſio ſignificatur,l.ſàcimus.C.de verborum ſignificatione.

Celat non tantùm qui non admonet, ſed etiam qui negat.l.ſi venditor.ff.de actionibus empti.

Ceſſante cauſa ceſſat effectus.l.ſeruit.Cod.de epiſc. & clericis.

Ceſſante cauſa propter quam res eſt data, pignus debet reddi.l.ſi fundi.C.de pactis pig.

Certa pro incertis relinquenda non ſunt l.legi poterit.D.idem quærit ad Trebellianum.

Ceſſio bonorum non liberat debitorem ab obligatione, ſed tantùm à carcere.l.1.Cod.qui bon. ced.&c.

Citatione præuentus antequam forum mutet, ius reuocandi forum non habet, l.ſi quis.D.de iudiciis.

Ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non poteſt.l.eas obligation.D.de capite priuatis.

Clauſula generalis non confertur ad ea de quibus ſpecialiter eſt cautum.l.alimenta.§.Baſilica.D.de alimentis legatis.

Clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia.l.cùm poſt omnes .Cod. de liberis præteritis.

Clauſula generalis non obſtante exceptione, non intelligitur remouere exceptiones legitimas, ſed inanes.l.ita nob.C.ad l.Iul.de ad.

Cœpta vſucapio à defuncto poteſt & ante aditam hereditatem impleri.l.cœptam. D. de vſucapionibus.

Coercitio delicti commiſſi in parentes ad publicã pietatem pertinet.l.1.D. de obſequiis parentibus præſtandis.

Codicilli ſiue præcedant ſiue ſequantur teſtamento confirmantur.l.ſiue initio.C.de codicillis.

Codicilli vires teſtamenti ſequuntur.l.rupto.Cod. de codicillis.

Cognationem facit etiam adoptio.l.1.§. cognationem D.vnde cognati

Communis error facit ius, præualétque veritati.l. teſtes.Cod.de teſtam.ord.

Communis error excuſat,l.ſi arbiter. Cod.de ſenten.& interlocut.

Communi auxilio marito non debet tribui extraordinarium.l.16.D.de minoribus.

Conceptus partus quodammodo in rerum natura eſſe exiſtimatur.l.vel ſi vim. D. de ſuis & legitimis.

Cõceſſio ſingularis principis,vim decreti habet,l. 2.Cod.quando decreto,&c.

Concubinæ vxoris loco habentur,l.iubemus.Cod. de naturalibus liberis

Concubina ex ſola animi deſtinatione æſtimatur.l.concubinam D.de concubinis

Concubinam patris filius ducere prohibetur, l.ſi vt proponas 1.C.de nuptiis

Concubinatus extra pœnam legis eſt, cùm per leges nomen ſumpſerit,l. in concubinatu D. de concubinis

Concurſus duarum cauſarum lucratiuarum non admittitur,l.ſi inter ſtipulantem §. ſi rem D.de verborum obligationibus

Condemnatus in actione depoſiti directa fit infamis.l qui depoſitum.Cod.depoſiti

Condemnatio vnius ex pluribus, qui tenentur eodem crimine,non nocet alteri, l.& ſi crimine, Cod ad l.Iul.de adult.

Conditioni heres parere cogitur ſi honeſta & poſſibilis ſit,l.facta §. ſi ſub conditione D. ad SC. Trebellianum.

Conditionalis obligatio tranſit ad heredes, l.ſi quis D.de verborum obligationibus.

Conditores legum æquitatis congruit eſſe fautores ex hac lege Cod.de pactis conuentis

Conditio in fraudem legis adiecta pro non adiecta habetur,l.Seius D.ad Falcidiam

Conditio impoſſibilis vel turpis in vltimis voluntatibus non conſideratur, l.reprehendenda. C.de inſtitutionibus & ſubſtitutionibus.

Conditionale legatum ad heredem non tranſit, l. 65.de legatis

Conditio ſcindi non poteſt,l. Plautius D. de cond.

Confeſſio in iure facta tollit ipſo iure omnem actionem, l.donati §.quidam. ff. de donationibus

Confeſſio apud acta præiudicat donec contrarium probetur,l.interrogatam.C.de lib.cau.

Confeſſi in iure pro iudicatis habẽtur.l. ſicut maior.C de repudianda & abſtin.hæreditate

Confeſſioni ſupplicantis ſtatur in eius præiudiciũ non fauorem l.cùm precum.C.de lib.cau.

Confeſſus pro iudicato habetur,nec à propria cõfeſſione in iudicio facta recedere poteſt,l.vnica, Cod.de confeſſis

Confeſſio facta in fraudem legis non valet, l.eum quis §.1 ita de legatis 3.

Confeſſione perinde extinguitur obligatio ac ſolutione,l.8.Si id quod ff. de liberatione legata.

Confunditur obligatio ſi grauatus honorato ſuccedit,l.cum ſecundùm.C.de fideicommiſſis.

Confuſione actio extinguitur,l.2.cùm quis de hereditate vendit.

Coniuncti vnius perſonæ poteſtate funguntur, l. 34.de legatis 1.

Conſanguinitatis & agnationis iura à patre oriuntur,l ſi ſpurius D.vnde cognati

Conſentaneum eſt nominibus diuerſis ſignificari quæ effectu diuerſa ſunt.l.ſi idem.C.de codicillis

Conſilia quædam(etſi non ſequatur effectus) tamẽ in exemplum ſunt puniẽda,l.4. ſi quis ſeruo,l. de ſer.corrup.

Conſpiratio contra principem crimen læſæ maieſtatis inducit,l.quiſquis.C.ad l.Iul.maieſt.

Conſenſu matrimonia contrahuntur,contracta nudo conſenſu diſſolui non poſſunt, l. conſenſu. Cod.de repudiis

Conſtante matrimonio concubinam penes ſe habere nemini conceditur, l.vnica.Cod.de concubinis

Conſuetudo optima legum interpres, l ſi de interpretatione.D.de legibus

Conſuetu-



Conſuetudo vim legis habet, l. de quibus. D.de legibus

Conſuetudo dat iuriſdictionem voluntariam quæ extenditur ad non ſubditos conſentientes,l.1.C. de emancipat.lib.

Conſulendum nemini cum alterius detrimento,l. nec alius.C.de emancipatione liberorum

Continentia cauſæ efficit vt omnes rei ad vnum iudicem in iudicio vniuerſali remittantur, l. omnes tutores.C.arbitrium tutelæ

Continentia cauſæ non debet diuidi, l.nulli C.de iudiciis

Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta non ſunt,l.contra D.de pactis

Contra bonos mores conuentiones factæ non valent.l.pacta quæ contra C.de pactis

Contra latam ſententiã, quæ tranſiit in rem iudicatam appellandum non eſt.l.1.C. quando pro. non eſt neceſſe.

Contra proprium factum nemini venire permittitur,l.poſt mortem de adoptionibus

Contraria facta ſimul poſſunt eſſe vera, l.13.D.de rebus dubiis

Contumax appellationis beneficium non habet, l.& poſt edictum. §. ſciendum. D. de iudiciis

Conuentio non numeratio perficit emptionem, l. inter patrem.D.de contrahenda emptione

Correlatiuorum eadem eſt ratio,l.legem. C.de indicta viduitate

Creditor agens hypothecaria, debet probare rem fuiſſe in nobis debitoris tempore obligationis, l.de rebus,C.de obligationibus ante nuptias

Creditor non bene legatarijs per omnia comparatur,l.ſi ſuperatus.D.de pignoribus

Creditor vendens iure creditoris, nec ex perſona ſua, nec ex perſona alterius creditoris cui ſuccedit euincere poteſt,l.cum iure.C.cred.de euict. non deb.

Creditor non tenetur de euictione,l. & ſi is de diſtration.pignorum

Crimen patratum caſu,non ex propoſito excuſationem meretur,l.1.C.ad l.Cornel.de ſic.& l.eum qui eo.

Criminaliter accuſatus ſi fideiuſſores dare nõ poteſt carcere detineri debet,l.minimè fas eſt.C.de appellat.

Cui immodicum lucrum non aufertur, modicum damnum æquo animo facere debet, l.ſi merces. §.vis maior,D. locati

Cui res prius traditur potior eſt in dominio,l.quoties,C.de rei vindicatione

Cui legata eſt materia,non eſt legatum materiatũ, l.Seruius,D de legatis.

Cuilibet in arte ſua credendum,l.1.de inſpiciendo ventre.

Cuilibet libera reſiſtendi facultas, l.liberam,C. quando licet vnicuique ſine iud.

Cùm facies hominis ad imaginem Dei ſit formata,non debet ſignis in fronte impreſſis fœdari,l. ſi quis,C.de pœnis.

Cùm in limine contractus imminet euictio, emptor pretium ſoluere non tenetur,l.ſi poſt perfectam,C.de euict.

Cùm duo crimina intentantur,definitio & cognitio grauioris alteri eſt præferenda,l.1.C.qui accuſare non poſſ.&c.

Cum ſuo onere commodum tranſire debet, l.cum fiſco ad Syllan.

Cùm deficiunt vulgaria actionem nomina præſcriptis verbis agendum,l 2 D. de præſcriptis verbis

Cumulatio actionem conceditur ſi non ſint contrariæ,l.1.C.de furtis & ſeruo corrupto

Curatorem habenti alius curator dari poteſt,l. ventri,D.de tutoribus & curatoribus

Curſus temporis non immutat ſubſtantiam veritatis,l.ſicut falſi,C.ad l.Cor.de fal.

D

DAmnatis ob crimen læſæ maieſtatis mors ſolatium,& vitæ ſuppliciũ eſſe debet,l. quiſquis,§.filij.

Datio in ſolutum inſtar venditionis eſt, l.ſi prædium.C.de euictionibus

De domo ſua nemo extrahi debet, l.ſeudi ſi is,D. de in ius

De falſo ciuiliter & criminaliter agi poteſt, l.dãnis,C.ad l.Cor.de fal.

De controuerſiis teſtamentariis nulla eſt tranſactio,l.de his.D.de tranſactionibus

De re patris filiusfamilias arbiter eſſe poteſt, l. quinetiam,D.de arbitris

De dolo tenetur etiam proximus pubertati ſi locupletior inde factus,l.heredib.D.de dolo

De poſſeſſione priuſquam de proprietate agendũ, l.ordinarii iuris, C.de rei vindicatione

Debita portio querelam inofficioſi excludit, l.cũ donationib.C.de inofficioſis donationib.

Debitor generis re oblata perempta liberatur, l. 84.§.ſi cui de legatis 1.

Deceptio vltra dimidium in venditionibus reſcindit contractum,l.2 C.de reſcindenda venditione

Deceptis non decipientibus ſubueniendum, l.& primo.§ verba ad Velleianum

Deceptis ſine culpa ſua non decipientibus ſuccurritur, l.diuus de in integrum reſtitutionibus

Decretum ex falſa cauſa interpoſitum fauore libertatis non reſcinditur,l.1.C.de vind.libert.

Defenſor qui ſatiſdedit domini loco habendus eſt,l.76.D.de procuratoribus

Delictorum turpis atque fœda communio eſt, l. quod autem D.pro ſocio

Delictum patris vel aui non nocet nepoti vel filio,l diui fratres,D.de iure patronatus

Delictorum fit plerumque compenſatio l.mulier, D.rerum amotarum

Delinquentes puniri debent eo membro quo delinquunt,l.ſi fugitiui,C.de ſeruis fugitiuis.

Demonſtratio falſa non obeſt legato l.33.D.de cõditionibus & demonſtrationibus

Demonſtratio falſa non perimit legatum l.75.§.ſi mihi de legatis 1.

Deterior conditio domini per procuratorem fieri non debet,l.ignorantis.ff.de procuratorib.

Deterior conditio fœminarum quam maſculorũ, l.9.D.de legit.hominum

Dies incertus conditionem in teſtamento facit, l. dies incertus,D.de conditionibus

Dies incertus pro conditione eſt, l.12.§.vltimo de legatis 2.

Difficultas præſtandi inutilem ſtipulationem non efficit,l.ſtipulationum, D.de verborum obligationibus

Dignitas à pœna criminis commiſſi non excuſat, l.& ſi excepta,C.de maleſi.&c.

Diligentia ſua nemini debet eſſe damnoſa, l.ſi.C. de alluuio.&c.

Disiuncta poſita in vltimis voluntatibus accipitur pro coniuncta,l.cùm quidam, C. de verborũ ſignificatione

Diſſoluta negligentia propè dolum eſt,l.ſi fideiuſſor D.mandati

Diuerſis actionibus competentibus per electionẽ vnius altera non tollitur,l.ancillæ. C.de furt.& ſeru.corrup.

Diuiſio comparatur emptioni,l.1.C.communia vtriuſque iudicij

Diuiſio facta inter præſentes abſentis iuri non præiudicat,l. cohæredibus. Cod.familiæ erciſcundæ

Diuiſio non eſt inſtauranda niſi dolo alterius celebrata ſit,l.ſi inter vos,Cod. communia vtriuſque iudicij

Pater filium contra pietatem malẽ efficiẽs cogitu

emancipere l.finali. ff.ſi à parente quis manumiſſus

Dolis ſemper occurrendum,l.2.ff.de dolo

Dolo facit qui petit quod ſtatim redditurus eſt,l. ſocer,§. Lucius.ff.ſoluto matrimonio

Dolus inciden in contractum nõ ſubuertit ipſum contractum,l.& eleganter,ff.de dolo

Dolo malo non edit & qui malitioſé edit, & qui in totum non edit,l.vbi exigi.ur. §. dolo de edendo

Dolo non facit qui fraudem excludit, l.77.§ Titio de legatis 2.

Domini loco hereditas habetur , ff.l ſi ante,ff.de interrogationibus qui fugitiuũ celauit fur eſt, l.1.ff.de fugitiuis.

Domus ſua refugium tutiſſimum eſſe debet,l. plerique de in ius vocando

Donans rem videtur pignus remittere,l.1. §. cùm vendere,ff.quibus modis pignus vel hypotheca ſoluatur

Donatio cauſa mortis antequam mors inſequatur perfecta donatio non eſt,l.nõ videtur,ff.de mortis cauſa donationibus

Donatio propter nuptias poteſt in dotem conuerti,l.multum , Cod. de donationibus ante nuptias

Donatio facta ob cauſam nuptiarum cauſa non ſequuta repetitur,l.ſi præſidi , C.de donationibus ante nuptias

Donatio eſt modus transferendi dominium , l.in ædibus,§.donatio.ff.de donationibus

Donatio non procedit inter eas perſonas quæ ſibi inuicem ratione patriæ poteſtatis ſubiectæ ſunt,l.ſi ancillam, C. de donationibus inter virum

Donationes ob cauſam & ſub conditione propriè Donationes non ſunt,l.1.ff.de donation.

Donator poſt traditionem deſinit eſſe dominus & adminiſtrator,l.ſi tradita,C.de ſer.pig.&c.

Donator non tenetur de euictione,l.Ariſto.§. Labeo.ff.de donationibus.

Donator tenetur de euictione,ſi per ſtipulationem euictionem promiſit , non ſi nudo pacto,l.quoniam,C.de euictionibus

Dos æris alieni loco eſt,l.finali. ff. de dotis collatione

Dos ſine matrimonio eſſe non poteſt,l.dotis , ff.de iure dotium

Dos à patre profecta ſoluto matrimonio ad patré redire debet,l.dos à patre,Cod.ſoluto matrimonio

Dotis potior cauſa quàm reip. l. dotis , C.de iure dotium

Dotis legatum ob repræſentationis commodum valet,l 1.ff de dote prælegata

Dotis cauſa ſemper & vbique præcipua,l.1.ff.ſoluto matrimonio

Dum aliquid addendum ſupereſt , nihil actum videtur,l.cùm Syllanianum,C.vt indignis

Duo tutores ſimul agere non poſſunt, l. decreto,ff. de adminiſtratione tutorum

Duo ſpecialia circa idem non poſſunt concurrere, l.fruſtra,C.de dotis promiſſione

Durior non debet cauſa eſſe fideiuſſoris quàm rei, l.Græce,ff.de fideiuſſoribus.

E

EA quæ perpetui vſus cauſa in ædificiis ſunt ædium vt ſunt,l.fundi,ff.de actionibus empti

Eadem res bis præſtari non poteſt,l. 108.§. Stichũ de legatis 1.

Ei qui iure ſuo vtitur iniuria non facienda,l.Proculus,& l.hominum.ff.de damno infecto

Eiuſdem iuris cum re principali ſunt ea quæ adcreſcunt,l.grege,ff.de pignoribus

Emptio conſiſtit etiam ſi in materia & qualitate erratum ſit, l. quod tamen , ff. de contrahenda emptione

Emptor qui lucrum ſentit & damnum ſentire debet,l 2.§. non ſolum de hereditate vendit.

Emptor vniuerſitatis non agit pro euictione rei ſuæ,nec ad ſumptus litis,niſi hoc ſpecialiter ſit promiſſum,l.1.C.de euictionibus

Emptor ex perſona venditoris habet ius defenſionis. l emptori,C.de euictionibus

Emptoris loco habendus qui litis æſtimationem ſufficit,l.ſi propter rerum amotarum

Errantis nullus conſenſus, l 9. C. de iuris & facti ignorantia

Errantium non eſt conſenſus, l. ſi per errorem de iuriſdictione omnium iudicum

Errantibus non decipientibus iura ſubueniunt,l. ſi is qui,C.ſi minor maiorem

Error nominum in ſcriptura commiſſus ius legati non minuit,l.ſi Fortidianum,C.de legatis

Error heredis ius ipſum non mutat,l.ornamentorum de auro legato

Error litigatorum non habet conſenſum , l .conſenſiſſe,ff de iudiciis.

Error veritati non præiudicat,l.errore, Cod.de teſtam.ord.

Error in ſexu contingens ſubuertit emptionem,l. alioquin ff.de contrahenda emptione

Error iuris nullo modo excuſat niſi aliud ſit priuilegium. quo ſpectetur,l.in debito,Cod.ſi aduerſus ſolutionem

Error non facit ius præſertim in lucro captando,l. opinione,C.de vſu.ap.pro herede

Error iuris excuſat à dolo,l.ſed etſi,§. ſcire,de petitione hereditatis

Error commiſſus in ſubſtantia, contractus contractum efficit nullum, l. in venditionibus , ff.de contrahenda emptione.

Error in materia ſtipulationem non vitiat ſi in corpus fuerit conſenſum, l.ſi id quod aurum,ff. de verborum obligationibus

Error qualitatis in re legata non nocet ſed ſubſtantiæ,l.4 ff.de legatis,1.

Errans nec acquirit nec amittit poſſeſſionem, l.ſi me in,ff de acquirenda poſſeſſione

Error iuris poſſeſſori ad vſucapionem non prodeſt,l.nunquam,ff.de vſucapionibus

Erroris fideiuſſio nulla eſt,l.ſi quis poſtquam.ff.de fideiuſſoribus

Etiam in paruis grauaminibus appellatur, nec ob id iudici infertur iniuria,l.& in maioribus, C. de appellat.

Etiam reſpublica voluntati teſtatoris parere compellitur,l.liberto,§. Lucius,ff.de annuis legatis

Etiam inuitis nobis per ſeruos acquiritur pene ex omnibus cauſis.l etiam.ff de acquirendo rerum dominio

Ex compromiſſo minimè exceptio naſcitur ſed pœnæ petitio.l 2.de receptis

Ex alterius damno lucrum facere volentibus non ſubuenitur. l. ſciendum ex quibus cauſis maiores

Ex conditione perſonarum hominum dicta ſunt conſideranda.l. vnica. C. ſi quis Imper.maledix.

Ex omnibus bonæ fidei iudic.heres propter dolũ defuncti tenetur.l.finali.§. Paulus .ff. de fideiuſſoribus tutorum

Ex pœnitentia condictionem non habet qui mortis cauſa donauit.l.qui mortis.ff. de mortis cauſa donationibus

Ex duabus legibus ſub alternatione latis fauorabilior alteri præfertur.l.finali,§. plane ſi prior. ff.de ſeruis exportandis.

Ex ſuo quiſque vitio proprio incommodo afficitur,l.nec id ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti

Ex ſuo benefacto nemo in periculum trahendus,l. ne ex liberalitate de re iudicata

Ex eo quod in litem iuratur doli æſtimatio fit non ex eo quod intereſt. l. non à iudice. ff.de iudiis

Ex



Ex diuerſis teſtamentis ius coniunctionis non cõtingit.l.ſi ſub conditione.ff.quibus modis vſusfructus amittitur

Ex iuſta cauſa conſtante matrimonio repetit vxor dotem.l quamuis.ff.ſoluto matrimonio

Ex poſtfacto retractari non debet matrimonium rite contractum.l.cùm proponas.C.de interdicto matrimonio

Ex poſtfacto multa tolerantur quæ ab initio prohibentur.l.pater de his qui ſunt ſui

Ex ſubſtitutione pupillari expreſſa mater excluditur,non per tacitam pupillarem in ea contenta. l.precibus.C.de impuberum & aliis ſubſtitutionibus

Ex conuerſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur,l.9.de officio præf.

Ex placito permutationis nulla re ſequuta nemini competit actio niſi ſtipulatio ſubiecta ſit , l.ex placito C.de rerum permutatione

Ex alterius iactura nemo locupletari debet,l. nam hoc natura de conditione indebiti

Ex delicto ſerui dominus ignorans ciuiliter conuenitur,l.ſi ſeruus.C.de noxalibus

Ex nudo pacto actio non naſcitur,l.ſi tibi. C. loc.

Ex cauſa tranſactionis vel iudicati ſoluens non repetit,l.cum putarem,ff,fam.erc.

Ex ſententia arbitri oritur actio,l.1.de recep. arb.

Ex indiciis perſpicuis dolum probari conuenit,l. dolum.C.de dolo

Ex poſtfacto fiunt neceſſitatis quæ ab initio voluntatis fuerunt,l.ſicut. C. de obligationibus & actionibus

Ex duobus rei promittendi alterius factum alteri nocet,l ex duobus ff.de duobus reis

Ex vno delicto plures naſcuntur actiones,l.cum ex vno ff.de obligationibus & actionibus

Ex ſententia pro alio habita,alter prægrauari non debet,l.21.in fin.ff.de his qui notantur infamia

Ex pœnitentia donatio mortis cauſa reuocari poteſt,non autem donatio inter viuos,l.ſenatus. §. donatio ff.de donationibus

Exceptio falſi procuratoris reddit iudicium retrò nullum,l.licet.C.de procuratoribus

Exceptio dilatoriæ ante litem conteſtatam opponi debet,l.ita demum.C.de procuratoribus

Exceptio ſuperueniens poſt ſententiam, poteſt opponi poſt ſententiam in executione,l.rebus quidem.C.de re iud.

Exceptio nullitatis impedit executionem ſententiæ,ſi offeratur parata probatio l.latam ſententiã, C.quando prouo.non eſt neceſſe

Exceptio nullitatis poteſt opponi in executione, etiam poſt ſententiam,l. nimis,C. de execut. rei iud.

Exceptiones peremptoriæ vſque ad ſentẽtiam diffinitiuam opponi & probari poſſunt,l peremptorias,C.ſen.reſcin.non poſſ.

Executio non facienda iuris ordine prætermiſſo,l. 1.C.de executione rei iudicatæ

Exiſtentia ſui heredis tranſmiſſionem hereditatis operatur,l.apud hoſtes C de ſuis & legitim.

Exiſtente naturali cauſa quæ inhibet repetitionem ex cauſa ſolutum repeti non poteſt,l.3. §. finali. ff.quod quiſque iuris

Ex vſu teſtatoris legatum æſtimabitur.l. vſu ff.de tritico,vino,& oleo legato

Expellens aliquem de poſſeſſione poteſt criminaliter & ciuiliter conueniri,l.ſi de poſſeſſione. C. vnde vi.

Expilatæ hereditatis crimen loco deficientis actionis intendi conſueuiſſe non eſt ambigui iuris, l.expilatæ.C.de crim.expilat.hered.

Expletis finibus mandati ceſſat mandatum, l.ſi actor.C.de appellat.

Expreſſa nocent , non expreſſa non nocent,l.non nunquam.ff.de conditionibus

Extraneum etiam penitus ignotum heredem quis inſtituere poteſt , l.extraneum. C.de inſtituendis heredibus

F

FAcilius omittitur ius quærendum quàm quæſitum,l.finali.C.de acquirenda poſſeſſione

Facilius datur exceptio quàm actio,l.1.§. cui damus de ſuperficiebus

Factum iudicis ſupplet factum hominis ad damnum & non ad commodum contumacis,l.ancillam.C.de fideicom.libert.

Factum defuncti maioris ab herede retractari non poteſt.l.Polla.C.de his quibus vt indignis

Facti interpretatio plerũque etiam prudentiſſimos fallit,l.in omni.ff de iuris & facti ignorantia

Falſa demonſtratio legatario non obeſt.l.76. §.heres de legat.2.

Falſa cauſa non nocet ſtipulationi,l. ſi diuortio.ff. de verborum obligationibus

Falſa cauſa non vitiat legatum,l.1.de conditionibus & demonſtrationibus

Falſa ſimulatio veritatem non minuit , l.nec omiſſa.C.de lib.cau.

Falſa demonſtratio non vitiat ſi de corpore conſtat,l.ſi in nomine.C.de teſtam.ord

Falſum non videtur,quod veritatis primordio adiuuatur,l.75 §.heres de leg.2.

Fauore liberorum non conceptionis ſed partus tẽpus ſpectandum eſt , niſi vtilitas infamis aliud poſtulet,l.nuper.C.de naturalibus liberis

Fauore liberorum nuptiæ non facilè reſcindendæ, l.lege,D.de ritu nuptiarum

Fictio legis pro veritate habetur , l. cùm apud.C. qui & aduerſus quos

Fideiuſſor pro ſeruo datus non tenetur,l.quotiens. D ſi quis cautionibus

Fideiuſſor habens fideiuſſorẽ loco rei eſt , l.ſi plus, § ſi fideiuſſor.D.de fideiuſſoribus

Fideiuſſor antequam reus debeat , conueniri non poteſt,l.fideiuſſor D.de fideiuſſoribus

Fideiuſſor non tenetur in maiorem quantitatem quam reus condemnari poteſt, l. vnum eſt D. de compenſationibus

Fideiuſſor liberatur pro ea parte quam tutor ſoluit,l.non eſt ambigui.C.de fideiuſſoribus

Fideicommiſſum ſtatim præſtandum l. vxorem.§. finali de legatis 3.

Filia heres inſtituta munere collationis non fungitur l.ſi filia,D.de dotis collatione

Filio naturali pupillariter non ſubſtituitur, l.Lucius Titius D.de vulgari ſubſtitut.

Filius tenetur matri ſubſidium vitæ, id eſt alimẽta præſtare,l.ſi ita tua,C.de pat.poteſt.

Filius reuerentiam debet matri,l.congruentius.C. de pat. poteſt.

Filiusfamilias inuitus ad ducendam vxorem cogi non debet.l.nec in filium.C.de nuptiis

Filius qui ſe paternæ hereditati non immiſcuit nõ eget beneficio reſtitutionis in integrum, l.ſi vos paternæ.C.ſi ſe abſtinuit heres

Filius patri agnatus proximus eſt,l.ſi filius,D. de ſuis & legitimis

Filiusfamilias ex omnibus cauſis tanquam paterfamilias obligatur filiusfamilias, D. de obligationibus & actionibus

Filius qui voluntati patris non repugnat conſentire videtur,l.ſed quæ,D.de ſponſalibus

Filius ingratus propter ingratitudinem reducitur in patriam poteſtatem,l.vni.C.de ingrat lib.

Filius non poteſt euincere rem, quã pater vẽdidit, cuius ipſe eſt heres,l.ſiue poſſeſſor.C.de euic.

Filium pater caſtigare poteſt ſi eum offendit, l. ſi filius. C. de pat.poteſt.

Finito iudicio finitur officium iudicis.l.ſi depoſiti. C.depoſiti

Fines mandati diligenter cuſtodiendi,l.diligenter. D.mandati

Fiſco vacantia bona deferuntur,l. inferioris , D.de ſucceſſorio edicto

Fiſcalis haſtæ.fides facilè conuelli non debet , l.ſi hypothecas,C.de remiſſione pig.

Fit doli compenſatio ſi vtrinque dolus commiſſus,l.ſi duo,D.de dolo

Fœlicitas viri vxori prodeſt,& à contrà, l.ſi libertam,C.de nuptiis

Fœminæ dignitatem à viris habent,l 8.de ſenat.

Fœminæ in ſucceſſionibus deterioris conditionis eſſe non debent quàm mares,l.Maximum vitiũ.C.de liberis præteritis

Forma commiſſionis ſeruanda eſt , aliàs pronuntiatum non ſubſiſtit,l. cùm magiſtratus & ll. ſequentibus.C.quando prouo.non eſt neceſſe

Frater non præiudicat fratri ſine eius mandato agendo vel paciſcendo.l.ſi cum fratre.C.res inter alios acta,&c.

Frater non excuſat fratrem de crimine capitali,l.ſi magnum.C.qui accuſ.non poſ.

Fatris factum fratri non nocet.l. ſi quis. D. ſi qui aliquem teſtari prohibuerit

Fraudis nomine continetur conſilium & euentus.l.1.C.qui manumit.non poſſ.

Fraus ei non fit,qui ipſe ius ſuum diminuit.l.poteſt.D.ad legem Falcidiam

Frequentia delicti grauiorem pœnam inducit.l.ſeruos.C.ad l. Iul.de vi pub.&c.

Fructus pendentes pars fundi videntur.l.fructus.D.de rei vindic.

Fructus & acceſſiones rei legatæ à lite conteſtata debentur,l.91.§.cùm homo de legatis 1.

Fructus induſtriales bonæ fidei poſſeſſoris fiunt nõ naturales.l.fructus.D.de vſuris

Fructus dotis cedunt lucro mariti pro oneribus matrimonij quæ ipſe ſuſtinet.l. pro oneribus.C.de iure dotium

Fructuario non præiudicat diuiſio facta cum proprietario.l.is qui.D.de vſufruct.legato.

Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora.l.veteres,C.de adop.

Fundo legato inſtrumentum eius non aliter legato cedit niſi ſpecialiter expreſſum ſit. l.finali D.de ſuppellectile legata

Furioſus iure facta impedire non poteſt. l.quem Tubero.D.de peculio

Furioſus habendus abſentis loco, quia in eo animus deeſt.l.dummodo D.de procuratorib.

Furioſus & infans æquiparantur.l.1. D.de bonorũ poſſeſſione furioſo infanti competente

Furioſus abſentis & quieſcentis loco habetur. l.2.§.& contra.D.de iure codicillorum

Furioſi nulla voluntas.l.qui ſeruum. D.de adquirenda heredit te

Furtum ſine affectu furandi non committitur , l.furtum.D.de vſucapionibus.

G

GEnerali obligatione non veniunt illæ res, quas neminẽ credibile eſt pignori ſpecialiter daturum fuiſſe.l. alũnos.C.quæ res pig.obli.

Generi per ſpeciem derogatur.l.vxorem §.feliciſſimo.D.de legatis 3.

Geſta publica perpetuam fidem habent, non tantũ in eadem inſtantia,ſed etiam in aliis

Gradus affinitatis nulli ſunt. l.non facilè. §.gradus.D.de gradibus & affinibus

Graue eſt fidẽ fallere.l.1.D.de conſtituta pecunia.

H

HAbitus præcedere debet priuationem. l.decem ſtipulatus.D.de verborum obligationib.

Habens precarium vſum non acquirit rei dominium.l.ſi non proprietatem.C.de ſer.pig.&c.

Hereditatis aditio non numerus liberorum portiones deſignat.l.non pro numero. C.ad SC.Orficia.

Hereditas non heredis perſonam ſed defuncti ſuſtinet.l.hereditas.D.de acquirendo rerum dominio

Hereditas obligat heredem æri alieno etiamſi non ſit ſoluendo.l.more noſtræ ciuitatis.D.de adquirenda hereditate

Hereditas augmentum recipit & deminutionem, l.Item veniunt.§.reſtituere de petit.heredit.

Hereditas in teſtamento data per epiſtolam vel codicillos adimi verbis directis non poteſt.l.hereditas.C.de his quibus vt indignis

Hereditas viuentis in rerum natura non eſt. l.1.D.de hereditate & actione vendita

Hereditas ſine vllo corpore,iuris intellectum habet.l.hereditas.D.de petit.heredit.

Hereditas codicillis directo dari vel adimi non poteſt.l.Hæreditatem.C.de codicillis

Hæreditati furtum non fit.l. in eo quod.D.de adquirendo rerum dominio

Hæreditatem non aditam hæres extraneus ad hæredes ſuos non tranſmittit.l.quoniam. C.de iure delib.

Hæreditatem filio delatam pater ſine ipſius voluntate repudiare non poteſt,l. renitente.C.de iure deliberandi

Hæreditariarum rerum furtum fieri non dicitur.l.ſi ſeruo.D.de noxalibus actionibus

Hæres recuſans præſtare relictum , hæreditatis cõmodo priuatur. l.quæſtionem.Cod. de fideicõmiſſis

Hæres non tenetur de caſu fortuito rei legatæ cõtingenti.l.Titiæ.§.fi.de leg.

Hæres ſortitur iudicium defuncti.l.ſi is , qui Romæ,D.de iudiciis

Hæres non auditur allegans turpitudinem defuncti.l filios.C.de reuocand.iis,quæ in fraud.&c.

Hæres viuentis nullus eſt ſed defuncti. l. Nemine, D.de adquirenda heredit.

Hæres inſtitutus ius deliberãdi & adeundi ad quoſcumque hæredes tranſmittit.l.Cùm antiquioribus,C.de iure delib.

Hæres ſoluens cùm naturaliter obligetur. ſolutũ non repetit.l.& ſi inutiliter, & l.ſi veritas.C.de fideicommiſsis

Hæredi qui teſtatoris necem inuitam omiſit hereditas adimitur.l.1. Cod.de his quibus vt indignis

Hæredis ſcientia poſſeſſionis continuatio non impeditur.l.hæres D.de vſucapionibus

Hi qui in aliena poteſtate ſunt,iuxta ius ciuile nõ niſi apud eum , apud quem plena legis actio eſt adoptari poſſunt.l.1.C.de adop.

Hoc fructuum nomine cõtinetur quod iuſtis ſumptibus deductis ſupereſt.l. hoc fructuum. C.de fructibus & lit.expenſ.

Homine generaliter legato optio legatarij eſt.l.quotiens.D.de optione legati

Hominum cauſa ius omne conſtitutum. l.2.D.de ſtatu hominum

Honor lucro imo etiam vitæ præferendus. l.iſti quidem.D.quod metus cauſa

Honor & reuerentia debetur parentibus.l. 2 C.qui & aduerſus quos

Honos ei non ſeruatur qui ſe ipſum in ſcelus deduxit.l.ſenatoris.D.de ritu nuptiarum

Honor delatus finem certi temporis & loci non habet.l iuriſperitos.D.de excuſationibus

Sine pretio & merce nulla venditio eſt l.inter partem de contrahenda emptione.

I

IBi eſt forum rei vbi domicilium habet,vel tempore contractus habuit,l.ordinem. C.de iuriſdictione omnium iudicum

Ibi finem accipere debet , vbi acceptum eſt iudicium.l.vbi acceptum.D.de iudiciis

Ibi pœna non imponitur vbi delictum locum habere non poteſt.l.licet.C.ſi aduerſus delictum

Id quod factum eſt authoritate principis , poteſt diſſolui authoritate ſuperioris de partium conſenſu.l.adoptatum.C.de adop.

Id ſupplere poteſt iudex quod à litigatoribus minus fuerit dictum.l.vnica.C.vt quæ deſunt.

Idem iuris eſt de toto quod de parte.l.quæ de tota,D.de rei vendication.

Idem eſt maris & fœminæ generationis principium l maximum vitium C.de lib præteritis.



Idem eſt facere & nolle prohibere cùm poſſis.l.Imperator.D.qui ſine manumiſſione ad libertatem peruenerunt.

Idonei tutores æſtimandi facultatibus & moribus.l.ſiue ingenua. §. Idoneos. D.ad SC. Tertyllianum.

Ignorantia facti non iuris excuſat l. liberorum.§.notatur.D.de his qui notantur infamia.

Ignoſcendum ei non eſt quæ obtentu paupertatis turpiſſimam vitam agit.l.palam.§. non eſt. D.de ritu nuptiarum.

Iiſdem modis res deſinunt eſſe noſtræ quibus adquiruntur.l,1.D.pro derelicto.

Illa quæ proſunt communiter , priuato commodo præferri debent. Auth.res quæ.C. com.de legatis.

Ille dicitur deſtitiſſe,qui depoſuit animum perſequendi,non qui aliquantiſper diſtulit.l. in executionibus C ad ſenatuſconſ Turpillia.

Illicitæ rei iuſiurandum ſeruari non oportet,Authentica,quod eis,C.de nuptiis

Imperatorem litis cauſa heredem inſtitui inuidioſum,l.imperatorem , D.de heredibus inſtituendis.

Impenſæ neceſſariæ dotem ipſo iure minuunt.l.61.D.de ritu nuptiarum

Imperitia heredum iuriſdictionis formam mutare non poteſt.l.ſi filia nupta familiæ erciſcundæ

Impleta legitima ætate furioſis & prodigis curatores dari ſolent.l.1.C.de curatore furioſi

Impletio conditionis non prodeſt niſi implenti.l.ſi plures,C.de his quæ ſub modo

Impoſſibile in teſtamento ſcriptum nullam vim habet,l.ſi Mæuia.D de heredibus inſtituendis.

Improbatur conditio qua viduitas inducitur, l.ſed ſi hoc,§.cùm vir vxori.D.de conditionib.

Impunitas delicti propter ætatem non datur , ſi modò in ea quis ſit,in quam crimen , quod intenditur cadere poteſt , l.impunitas,C. de pœnis

Impunitum eſt quod infans vel furioſus poſſeſſor perdidit vel corrupit, l.quod infans , D de rei vindicatione

In ratione legis Falcidiæ omne damnum & lucrum heredis eſt,l.in ratione, 2.D.ad legem Falcidiam

In ſingulis heredibus ratio legis Falcidiæ componenda.l.in ſingulis,D.ad legem Falcidiam

In Falcidia æſtimatio pretij ex veritate facienda, l. in Falcidia,D.ad legem Falcidiam.

In concubinas collatæ donationes reuocari non poſſunt l.donationes,D.de donationibus.

In arbitrium alterius conferri legatum poteſt , l.1.D.de legatis,2.

In alternatiuis heredis eſt electio,l.43.§.vlt.de legatis

In contrahendis nuptiis libera debet eſſe poteſtas, l.mulier,C.de ſponſalibus

In pari cauſa damno magis quàm lucro conſulendum,l. finali,§.licentia , C.de iure deliberandi

In id ij tantum quod facere poſſunt condemnandi,qui ex liberalitate conueniuntur, l.ſi extraneus,D.de iure dotium

In ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus,l.ſi filiusfam. D. de verborum obligationibus

In duabus ſummis id quod minus eſt ſponderi videtur.l.inter ſtipulantem , D.de verborum obligationibus

Ius honeſtatis ab omni debito excipiendum , l. quod ex liberto,C de operis libertorum

In ambiguis,veſtigia voluntatis ſemper ſequenda, l.quidam,C.de neceſſariis heredibus

In certis portionibus inſtitutus ſi vnam agnoſcit omnes agnoſcere videtur,l.cuidam elogio , C.de iure delib.

In mutuo omnis cauſa poſt litis conteſtationem præſtanda,l.cùm fundus,D.de rebus creditis

In teſtamentariis ſequimur id quod nouiſſimum eſt,l.hereditas.D.de tutelis

In carcerem coniectio non inurit infamiæ notam, l.1.C.ex quibus cauſis.

In homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.§.1.l.finali.D de his qui effuderunt

In rem ſuam auctor tutor fieri non poteſt.l.1.D.de autoritate & conſenſu tutorum

In vltimis voluntatibus benigna interpretatio facienda,l.1.C. de legatis

In priuilegiis res quæ mox futuræ ſunt, habentur pro factis, alias ſecus l.ſi nondum. C.de furt.& ſer.corrup.

In alio releuandus qui grauatur in vno.l.eum qui de iureiurando

In cauſa reſtitutionis actor ſequitur forum rei,l.2.vbi & apud quem

In minore malitia ſupplet ætatem.l. ſi alterius.C.ſi minor maiorem ſe dixerit

In pari delicto potior eſt cauſa poſſeſſoris.l.finali.D.de conditione ſine cauſa.

In committendo grauius quàm in omittendo delinquitur.l.Methrodorum de pœnis

In fructu hominis homo eſſe non poteſt.l. vetus quæſtio ,D de vſufructu

In delictis conſideratur animus & merum factum, non iuris effectus , C.eum qui, C.ad l.Iul. de adult.

In hominis vſufructu operæ ſunt , & ob operas mercedes. l.in hominis. D. de operis ſeruorum

In criminalibus probatio accuſatori incumbit non reo.l.cùm ſuppoſiti , l. ad l. Corn. de falſis

In alienis rebus gerendis bona fides deſideratur.l.1.de ſolutionibus

In fideicommiſſis ſola voluntas ſeruatur. l.127.de legatis 1.

In venditionis contractu potior is cui res prius adita.l.ſiue autem. D.de Publiciana in rem actione

In iudicium non venit quod poſt iudicium acceptum accidit.l.non poteſt.D.de iudiciis.

In depoſiti actione in litem iuratur.l.1. §.in depoſito. D depoſiti

In ambiguo legato legatarij eſt electio. l.20.de legatis 1.

In ambiguis pro dotibus reſpondere melius. l.in ambiguis.D de iure dotium

In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet.l 10.§.planè.D.de rebus dubiis

In tutoris datione non leuiſsima ſed nouiſſima conditio ſpectanda.l.tutor.D.de tutelis

In id tantùm quod facere poteſt maritus condemnatur.l.maritus.D.ſoluto matrimonio

In teſtimoniis dignitas,fides, mores, gratuitas examinanda eſt.l.2.& l.3. D. de fide inſtrumentorum.

In honorem matrimonij turpis actio aduerſus vxorem denegatur.l.nam in. D.de actione rerum amotarum

In rem patris auctor filius fieri non poteſt.l. quod dicimus de auctoritate tutorum

In priuatis negotiis pater & filius ſibi inuicem iudices eſſe poſſunt, l.in priuatis. D.de iudiciis

In dubio libertas præualet legato. l.14. de legatis 2.

In bonæ fidei iudiciis debent venire ea quæ ſunt moris & conſuetudinis l.quod ſi nolit.§. fin.D.de ædilitio edicto

In multis par eſt viri & vxoris conditio.l. ſi quis.C.de ſecundis nuptijs

In ſtrictis iudiciis quale eſt cùm petitur tale dari debet.l.2.D.de vſuris

In pretio emptionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus ſe circumuenire.l.1.§.Item Pomponius.ff.de minoribus.

In copulandis nuptiis eius voluntas ſpectanda, de cuius coniunctione quæritur.l.in copulandis.C. de nuptiis

In odiosis appellatione filij non continentur nepotes.l.finali.C.de naturalibus liberis

In contrahendis filij nuptiis taciturnitas patris habetur pro conſenſu.l.ſi vt proponis,2.C. de nuptiis

In operis noui nunciatione poſſeſſorem aduerſarium facimus.l.1 §. in operis.ff. de noui operis nunciatione

In dubio ſequimur id quod eſt minus.l.qui concubinam.§.cum ita de legatis 3.

In re communi nemo dominorum iure facere quicquam abſque altero poteſt.l. Sabinus communi diuidundo

In ordinandis teſtamentis non ſanitas corporis, ſed integritas mentis requiritur.l. Senſum,C. qui teſtamenta facere poſſ.

In mora modici temporis magnum damnum non eſt.l.ſi debitori ff.de iudiciis

In bonorum poſſeſſione ius eſt adcreſcendi, l.bono §. in bonorum.ff. de bonorum poſſeſſionibus.

In actione reali iurator in litem contra non reſtituentem.l.item veniunt §. reſtituere, ff.de petitione hæreditatis.

In publicis cauſis filiusfamilias pro patrefamilias habetur,l.9. ff.de ſtatu hominum.

In fraudem legatorum omiſſa cauſa teſtamenti vtilis actio competit,l.ſi in fraudem,C.de verborũ ſignificatione.

Rei mutatione interit vſusfructus, l.reperi.§. rei mutat.quibus modis vſusfructus amittatur.

In emptionis contractu lucrum non damno compenſatur.l.ſi duorum.ff.de action.empt.

In coniunctionibus non ſolùm quod licet ſed & quod honeſtum eſt conſiderandũ, l. ſemper.ff.de ritu nuptiarum.

In pari cauſa qui prior tempore eſt potior eſt iure l.Titius ff.qui potiores.

In contrahendis nuptiis filiorum patris conſenſus requiritur.l.in coniunctione, C. de nuptiis.

In arbitrariis actionibus habetur ratio intereſſe vtriuſque partis,l.vnica,Codice vbi conueniat qui certo.

In ambiguis media via eligenda,l. ſi patrefamilias de hæredibus inſtituendis,l.antiqui ſi pars hæredit.pet.

In dominio debitoris res pignerata manet,l.reſcriptum ff de diſtractione pignorum.

In ſucceſſione inteſtati deſcendentes præferuntur aſcendentibus, l. ſi matre,Codice de ſuis & legitimis.

In libertatibus leuiſſima ſcriptura ſpectanda, l.in libertatibus.ff.de manumiſſis teſtamento.

In pœnam hæres non ſuccedit,l.opus,ff,de noui operis nuntiatione.

In legatis nouiſſima In libertatibus leuiſſima conditio ſpectanda lege quod traditum ff. de conditionibus.

In fructu id eſſe intelligitur quod ad vſum hominis inductum eſt,l. in fructu,ff. de vſufruct. legat.

In legato indiuiduo ſinguli hæredes conueniuntur,l.finali,ff.de ſeruitutibus legat.

In ambiguo interpretatio ſumi debet quæ vltimæ voluntati conuenit,l.1.§. ſed an de his quæ teſtamento debentur

In deſcendentibus ex contractu defuncti pupillo non ſuccurritur,l.Æmilius idem minoribus.

In alieno facto ignorantia facilè toleratur,l. fi.ff. pro ſuo.

In nec ſſitatibus leges non ſeruantur, l.vt gratiam.§.1.de muneribus & honoribus vnde vulgo Neceſſité a e po at de Loy.

In quibus caſibus naturalis obligatio conſiſtit pignus etiam conſiſtit,l.quæſitum, ff. de pignoribus.

In fideicommiſſis poſteriores voluntates ſunt firmiores,l.ſi iam.C.de fideicommiſſis.

In depoſiti actione vſuræ ex mora venire ſolent,l. vſuræ,C.de petit.

In iure conteſſi pro iudicatis habentur,l. poſt rem iudicatam,ff.de re iudicata.

In pœnis non inſpicimus an intersit,l.cum pœna, ff.de recept.

In bonæ fidei iudiciis vſuræ ex mora debentur, l. cum quidam,§.ex locato.ff.de vſuris.

In dotibus ſententia & voluntas magis quàm verba ſpectantur,l.etiam ſi,C.de iure dot.

In omnium fertur iniuriam quod in religionem diuinam committitur,l. Manichæis, Codice de Hæreticis.

In omnibus vice hæredum bonorum poſſeſſores habentur,l.2 ff.de bonorum poſſeſſionibus

In caſtrenſi peculio filiifamilias vice patrum familias funguntur,l. vſque ad Senatuſconſultũ Macedonianum.

In damnis amittendæ ſuæ rei iuris error non nocet,l. error.ff.de iuris & facti ignorantia

In commodato pactio Ne dolus præſtetur rata non eſt,l,in commodato.ff.commodati.

In ſuis hæredibus aditio non eſt neceſſaria,l.in ſuis ff.de ſuis.

In omnibus vectigalibus conſuetudo ſpectari ſolet, l ſi publicanus,§.fundi,ff.de publicanis.

In iudiciis debet eſſe æqualitas,l.finali, C.de fruct. & lit.expenſ.

In legatis nouiſſima ademptio ſpectanda eſt, l.12. de legatis 1.

In fideicommiſſis teſtatoris voluntas ſpectanda, 11.§.Item ſi quis.

In dubiis à verborum proprietate non recedendũ, l.non aliter de legatis 3.

In fideicommiſſariis libertatibus nouiſſima ſcriptura ſpectatur,l.in libertatibus,ff. de manumiſſis teſtamento

Incertitudo legatum libertatis impedit, l.cum ex pluribus,ff.de manumiſſis teſtamento.

Incommodum omne aliquo commodo compenſandum,l.1.§.finali de aqua pluuia.

*Indulgentia remittit pœnam non infamiam*, l.ſin. C.de generali abolit.

Infantis ſicut pupilli conſenſus in adeunda hæreditate non deſideratur,l. ſi infanti, C.de iure delib.

Inhoneſtum eſt vinculo pœnæ matrimonia obſtringi,l.Titio,ff.de verborum obligationibus.

Inhumanum eſt per leges, quæ periuria puniunt viam periuriis aperire,l ambiguitates, C.de indicta viduitate.

Iniquum lucrum ab hæredibus extorquendum, l.in honorariis, ff.de obligationibus & actionibus.

Iniquum eſt de alieno facto aliũ iurare,l.Marcellus,§.qui rerum amotarum

Initium ſemper contractus ſpectandum,l.ſi tantum ff.ad SC.Macedonianum.

Iniuriarum actio hæredi non competit,l.ſi cum iudicio, §.quis iniuriarum, ff. ſi quis cautionibus.

Iniuriarum cauſa non publici iudicij,ſed priuatam continet querelam, l.iniuriarum, Codice de iniuriis.

Incendium ſine culpa inhabitantium fieri non poteſt,l.ſi venditi, ff. de prioribus & commodo rei venditæ

Inconſultis principibus noua vectigalia conſtitui non ſolent,l non ſolent,C.vectigalia noua inſtitui non poſſe.

Incommodum cum commodo debet compenſari,l.ſi.§. denique,ff.de aqua pluuia.

Incorporales res traditionem & vſucapionem non recipiunt.

Inſtitutio habetur pro pura,ſi teſtator voluit conditionem apponere & non fecit,l.ſi teſtamẽtum C.de inſtitutionibus & ſubſtitutionibus.

Inſtitutio heredum a milite facta potius ſecundũ ius commune quàm militare accipitur,l.quanquam,C.de Teſtamento militis

Inſtitutus in re certa loco legatarij habetur, l. quoties,C.de inſtituendis heredibus

Inſtrumentum cuiuſque rei neceſſe eſt alterius generis eſſe,l.fi. de inſtrumento legato

Inſtrumentorum nouorum obtentu negotia reſtitui non oportet,l.imperatoris,ff.de re iudicata

Inter eos datur collatio quibus poſſeſſio data eſt, l.1.ff.de collatione bonorum

Inter alios actum alteri non nocet,l.quia non debet de iureiurando

Inter alios res iudicata aliis nec prodeſſe nec nocere ſolet,Codice Claudius ff. quia potiores in pignore

Inter litigantes nõ aliter lis expediri poteſt quàm ſi alter petitor, alter poſſeſſor ſit,l.inter,ff.de iudiciis

Inter eos qui æquale ius habent poſſidentis melior conditio,l.ſi debitor.ff.de pignoribus.

Inter cognatos præſumitur ſcientia, l.ſi filium,C. de lib.cau.

Inter creditores potioris eſt, cui maior pecunia debetur l.cum bona ff.de rebus auctoritate iudicis poſſidendis.

Interdum plus valet ſcriptura quàm peractum ſit l.ſi alij ff.de annuo vſufr.legat.

Intereſt hominis hominem beneficio affici, l.ſi ſeruum ff.de ſeruis exportandis.

Inuito nemini bonorum poſſeſſio adquiritur,l. bona ff.de bonorum poſſeſſionibus.

Inundatio ſpeciem fundi non mutat, l.adeo §.aliud ff de acquirendo rerum dominio.

Inutilis tranſlatio perimit legatum, l.licet de adimendis legatis.

Inutile legatum cæterorum legata non minuit, l. non eſt dubium ff.ad legem falcidiam.

Ipſo iure nulla eſt ſententia lata aduerſus minores indefenſos,l.cum & minores, C.ſi aduerſus rem iudicatam.

Is poteſt repudiare qui & acquirere poteſt, l.is poteſt,ff.de acquirenda heredit.

Is indignus eſt beneficio ſtatus quem ipſe propria facultate ductus ſpreuit.l.Licinius ff. quibus ad libertatem proclamare non licet.

Iudex ſententiam latam reſcindere non poteſt,l. Paulus ff.de re iudicata.

Iudex ad quem appellatur de cauſa per appellationem deuoluta iudicare debet,non remittere ad iudicem priorem, l.eos qui, Codic. de temp. &c.

Iudicare munus publicum eſt l.quippe, ff.de iudiciis.

Iudicato humanitatis gratia tempus abſoluendum indulgetur,l.eum militi §. cum intra,ff.de compenſationibus.

Iudex competens æſtimabit vbi pupillus diuortio facto educari vel morari debeat,l.licet, C.de diuortiis factis.

Iudicia vltima non ſunt ſubuertenda,l.1.de ſacroſ. Eccleſ.

Iudicati executio ſolet ſuſpendi, & ſoluti dari repetitio,ſi falſis inſtrumentis circumuentam eſſe religionem iudicantis, manifeſtis probationibus fuerit oſtenſum,l.iudicati, C. ſi ex falſis inſtrumentis,&c.

Iudex ſub legitima pœna appellationem recipere tenetur,l.iudicibus.C.de appellat.

Iudex qui pretio vel precibus corruptus ſententiam fert infamis efficitur, vtrique parti quam læſit ad æſtimationem litis,l.de eo C.de pœna iud.

Iudicia pro qualitate criminis præſtant facultatẽ torquendi, vbi crimen probatum non eſt, l.ſi quis,C. ad Iuliam maieſt.

Iudicio bonæ fidei exceptiones pacti inſunt,l.emptio,ff.de reſcindenda venditione.

Iudex appellationis mandat ſententiam confirmatam executioni:l.addictos,C.de appellat.

Iudex familiæ erciſcundæ omnino ſequi debet voluntatem teſtatoris, l.ſi qua, C. familiæ erciſcund.

Iura non conſtituuntur de contingentibus raro l. ex his,de legibus.

Iura prædiorum morte & capitis diminutione pereunt,l iura, ff. quemadmodum ſeruitutes amittan.

Iura loquutia de minoribus extenduntur ad prodigos & furioſos,l.orationis C. de curatore furioſi.

Iuratur in litem aduerſus tutorem dolo vel culpa res minoris non reſtituentem,l.1. C. de in litem iurando.

Iuratur in litem contra non exhibentem inſtrumenta,l.non ignorabit,C.ad exhibend.

Iure ciuili cognati incogniti nec ad ſucceſſionem admitti potuerunt,l.1.ff.vnde cognati.

Iuri non conuenit aliquem cogi vt poſſeſſionis titulum indicet,l.cogi, C. de petitione hæreditatis.

Iuri adcreſcendi præfertur ſubſtitutio, l.æquiſſimum, § ſi duo ſunt hæredes,ff.de bonorum poſſeſſionibus ſecundum tab.

Iureiurãdo à vim paſſo ſuper rebus abreptis præſtito ſtatur,l.ſi quando.C.vnde vi.

Ius adcreſcendi eſt tacita ſubſtitutio, l.61 .§.1.de leg.1.

Ius generalis hypothecæ non tantùm ad præſentes ſed etiam ad futuras res producitur,l.fin.C.quæ res pignori oblig.

Ius adcreſcendi in ſtipulationibus locum non habet,l. ſi mihi & Titio ff. de verb. obligationibus

Ius inſtituendi vel ſubſtituendi in Codicillis non eſt,l.ſi idem,C.de codicillis.

Ius adcreſcendi tranſit in ſubſtitutum,l. 39.§.vltimo,ff.de vulgari & pupillari ſubſtitut.

Ius ſoli ſequitur ædificium,l.domo,ff. de pigneratitia actione.

Ius publicum cautionibus remitti non poteſt,l.ita autem,ff,de adminiſtratione tutorum.

Ius accreſcendi tranſmittitur ad hæredes, l.hæc ſcriptura §. cum eadem ff.de conditionibus & demonſtrationibus.

Ius ſpeciale ad conſequentiam non trahendum,l. quod vero Cod.de legibus.

Ius interdum ſuſpenditur propter neceſſitatem,nõ autem omnino tollitur,l. caſus maioris C.de teſtam.ord.

Ius vigilantibus non dormientibus ſcriptum eſt,l. pupillus patri ff.quæ in fraudem credit.

Iuſiurandum æquiparatur rei iudicatæ, l.ſi deferente ff. quibus modis pignus vel hypotheca ſoluitur.

Iuſiurandum loco ſolutionis eſt, l.iuſiurandum,ff. de iureiurando.

Iuſiurãdum inter alios factum alteri nec nocet nec prodeſt,l.1.§. alteri ſi mulier ventris nomine in poſſeſſione calumnia cauſa eſſe dicatur.

Iuſta petenti facilè aſſentiendum,l.2. ff.de his qui ſunt ſui.

Iuſtè poſſidet qui authore prætore poſſidet,l. iuſtè ff.de acquirenda poſſeſſione.

Iuſtis affectionibus non cupiditatibus indulgendũ l.illud de manumiſſion.vendit.

L

Lata culpa dolo comparatur, l.1.ff. ſi menſor

falſum modum dixerit.

Lata negligentia prope fraudem accedit, l.impuberibus de ſuſpectis tutoribus

Legatum ſub conditione impoſſibili relictum pro puro habetur,l.ſi poſt diem §.idémque D.quando dies legatorum.

Legatarius non vtitur actionibus directis nomine legato,niſi ab hæredibus mandatæ ſint, l.ex legato C.de legatis.

Legata inutiliter data ademptione non confirmantur,l.14 de adimendis legatis.

Legatum non poteſt conferri in alienam voluntatem,l.nonnunquam D.de conditionibus.

Legatum vniuerſitatis recipit auctionem & diminutionem,l.65.de legatis 2.

Legatum ſeruo alieno ex domini perſona vires capit l.2.§.ſeruo de legatis 2.

Legatum relictum incertæ perſonæ valet,l.7 §.cũ quidam D.de rebus dubiis.

Legatum datum in partes diuidi non poteſt, l.76. de variis de legatis 2.

Legata inutiliter confirmantur per repetitionem, l.9.de legibus.

Legata valere non poſſunt niſi teſtamentum ratũ ſit.l.ſi ſuperatus,D.de Pignoribus,

Legatum auctionem & diminutionem recipit, l. 24.§.ſi quis de legatis 1.

Legatum in aliena voluntate poni poteſt,in heredis non poteſt.l.43.de legatis 1.

Legatum à ſemetipſo inutiliter relinquitur, l.18. de legatis

Legatum caducum remanet apud hæredem cum onere ſuo,l.ſi ab eo,D.de vſufructu legato

Lege cautum ne diebus feriatis iudicium ſit niſi ex voluntate partium,l ſi feriatis,D.de feriis

Leges generales omnes obligant, l.leges.C.de legibus

Leges legibus concordare debent,l.vnica.C.de inofficioſis dotibus

Lege Iulia bona vacantia ad fiſcum pertinent. l. 96.de legatis 1.

Leges ignorare nemini permiſſum,l.leges.C.de legibus

Legibus non exemplis iudicandum, l.nemo C.de ſententiis

Legis imperio voluntas non factum coercetur,l.1. C.ad legem Corneliam de ſicariis

Legatum quod ab initio non conſtitit ex poſt facto conualeſcere nõ poteſt, l.41.§.1.de legatis 1.

Legato generis non derogatur per legatum ſpeciei inutile, l.medico.§.final. D. de auro & argent.legato

Legitima tutela ſecundum ſucceſſionis ordinem defertur,authentica ſicut hereditas,C.de legitima tutela

Legitima tutela ſemper teſtamentariæ cedit l.ſi tutor,D.de tutelis & rationibus diſtrah.

Legata caduca remanent apud heredem cum onere ſuo l.29.de legatis 2.

Lex Falcidia heredis cauſa lata eſt, l.poteſt heres D ad legem Falcidiam

Lex appoſita contractui ſeruanda eſt,l. C.de pactis inter emptorem & venditorem

Lex abrogans intelligitur abrogare quoad futura non quoad præterita,l.legem, C.de naturalibus liberis

Lex diſponens ex veritate procedit,l.ſi quis, C.de interdicto matrimonio

Libellus in cauſa criminali,factum & tempus cõtinere debet, l.in cauſis, C.de accuſat.& inſcript.

Liber homo hereditatem nobis adquirere nõ poteſt,l.homo liber, D.de adquirendo rerum dominio

Libera eſſe debet adeundæ hereditatis voluntas,l. nec temerè,C.de iure delib.

Liberalitas ſua nemini debet eſſe damnoſa,l.ſi verò vxori,D.pro donato

Liberalitas nolenti acquiri non poteſt, l.hoc iure,§ non poteſt,D.de donationibus

Liberato reo & fideiuſſor liberatur,l.emptio,D.de reſcindenda venditione

Liberi parentibus pietatem non operas debent,l. nullo,D.de obſequiis præſtandis

Liberis primi matrimonij lucra nuptialia ſeruari debent,non vſusfructus, ſed proprietatis iure,l. fœminæ,C.de ſecundis nuptiis

Liberta maior quinquaginta annis operas præſtare patrono non cogitur, l.liberta, D.de operis libert.

Libertas quæ in vltimum vitæ tempus confertur nullius eſt momenti, l finali, D.de manumiſſis teſtamento

Libertas ad tempus dari non poteſt, l.libertas D. de manumiſſis teſtamento

Liberum cuique eſt etiam lucroſam hereditatem omittere,l.ſi quis omiſſa,D.ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti.

Libidinum deſideria nulla venia defenduntur, l. legem,C.de naturalibus liberis

Licitum coarctatur vt illicitum euitetur,l.tutor, § de ſuſpectis tutoribus

Lis nulla eſſe poteſt cum eo quem in poteſtate habemus niſi ex caſtrenſi peculio,l.lis nulla,D. de iudiciis

Lite pendente per appellationem vel conſultationem non debet aliquid innouari, etiam ex reſcripto principis,l.ex illo,C.de appellat.

Lite conteſtata vſuræ currunt, l lite conteſtata,D. de vſuris

Locare ſeruitutem nemo poteſt, l.locare, D. locati.

Longi temporis poſſeſſio non dominium ſed præſcriptionis exceptionem inducit, l.1. C.ſi quis ignorans

Longi temporis præſtatio inducit obligationem,l. 6.de vſuris

Lucrum eſſe non poteſt niſi omni domino deducto,nec damnum niſi omni lucro deducto, l.Lucius,D.pro ſocio

Licèt venditor non obligauit ſe de euictione, tamen ex natura contractus tenetur de euictione, l.non dubitatur,C.de euictionibus.

M

Magna habetur ratio cognationis,l.vel ſi ſanguine,D.de manumiſſionibus

Maiorum præcepta iuſta vel iniuſta non contemnenda,l.1.de operis noui nunciatione

Maioribus periculis diligentius occurrendum,l.1. §.ſed ſi quis de Carboniano edicto

Malæ fidei poſſeſſores omnes fructus cum ipſa re præſtare debent,l.certum eſt, C.de rei vindicatione

Maleficiis minimè indulgendum, l.in fundo de rei vindicatione

Mandatum morte mandatoris non etiam mandati actio ſoluitur,l.ſi præcedente.D.mandati

Mandatum non eſt quod ſit gratia mandatarij, l. Quintus,D.mandati

Mandatum re integra domini morte finitur, l. mandatum.C.mandati

Mandator eadem pœna qua executor plectitur,l.ſi quis id quod,D.de iuriſdictione

Mandatum finitur morte mandãtis,l. hoc iure,§.ſi quis,D.de donationibus.

Mandatum morte mandantis reuocatum cenſetur, l.7.§.Mæuio de legatis 1.

Mandato generali nõ continetur trãſactio decidẽdi cauſa interpoſita,l.60.D.de procuratorib.

Mandatum gratuitum eſſe debet,l 1.D.mandati

Manifeſtiſſimum ſenſum teſtatoris verborum interpretatio meliorem non facit,l.ſi quis filium, C.de liberis præteritis

Maritalis affectio non coitus matrimonium facit, l.cùm hic ſtatus,§.ſi mulier,D.de donationibus inter virum & vxorem

Maritus



Maritus dominus eſt ciuiliter rei dotalis,l.1.C.de ſer.pig.&c.

Maritus non debet lucrari eſſe damno mulieris,l. quoties,ff.de iure dotium

Maritus etſi rebus vxoris ſuæ affectionem debeat, tamen curator ei creari non poteſt,l.maritus,C. qui dare tutores

Maſculinum ſub ſe continet fœmininum, l.qui duos ff.de legatis 1.

Mater agere poteſt contra maritum vt filium pro modo facultatum alat.l.ſi competenti,.C. de alendis liberis

Mater filio donare non prohibetur lege ſi conſtante,C.de donationibus inter virum

Matri illuſtri ſpurius legitimis extantibus non ſuccedit,l.ſi qua illuſtris,C.ad Se Orficia.

Matrimonium debet eſſe liberum,l.neque ab initio,C.de nuptiis

Mea res ſub conditione legari mihi poteſt, l.mea res,ff.de conditionibus

Melius eſt occurrere in tempore quàm poſt exitũ vindicare,l.liberam,C. quando licet vnicuique ſine iud.

Merus executor nõ ſubit vices iudicis,l.ſi vt proponis,C.de execut.rei iud.

Meum eſt quod ex re mea ſupereſt cuius vindicãdi ius habeo,l.ſolùm,ff.de rei vindicatione

Miles pro parte teſtatus & inteſtatus decedere poteſt,l.ſi miles,ff.de teſtamento militis

Militis teſtamentum ſola voluntate perficitur, l. miles,ff.de teſtamento militis

Milites in expeditione degentes poſſunt facere teſtamenta quomodo voluerint nulla iuris ſolennitate ſeruata, l. milites,C.de teſtamento militis

Minima conſideranda non ſunt,l. ſcio de in integrum reſtitutionibus

Minor in iudicio abſque curatoris authoritate ſtare non poteſt,l.clarum,C.de authoritate præſtanda.

Minor 25.annis iudex eſſe non poteſt, l.cum lege: D.de receptis

Minor læſus reſtituitur etiamſi non dolo aduerſarij ſit læſus,ſed ſui facilitate.l.minoribus,C.de in integrum reſtitut.

Minor imbutus literis ſumptibus tutoris in ſtudiis alitus præſumitur, l.2.C. de alimentis pupillis præſtandis

Miſerendum mulieris propter obſequia, & propter partus periculum, l.aſſiduis eo, C.qui potiores

Miſſus in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ pignus prætorium & cuſtodiam conſequitur, l.ſi poſtquàm,C.eodem

Miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto non adquiſitionem dominij ſed prætorij pignoris inducit, l. in poſſeſſionem, C.de bon.auth iud. &c.

Modicum tempus poſt condemnationẽ reis indulgetur ad ſoluendum,l ſi debitori,D.de iudiciis

Modum adminiſtrationi diuiſio tutelæ facit, l.inter tutores de adminiſtratione tutorum

Modus & conditio in effectu æquiparantur, l.1. C. de his quæ ſub modo

Mônitio iudicis habet vim peremptoriæ citationis,l.ceſſante,C. quomodo & quando iudex,&c.

Mora rei fideiuſſori quoque nocet,l.mora rei, D. de verborum obligationibus

Mora ſolutionis poſt ſententiam & quadrimeſtre tempus parit effectum vſuræ centeſimæ, l.is qui bona,C.de vſu. rei iud.

Moram paſſo mortui animalis pretium præſtandum.l.item ſi verberatum,D.de rei vind.

Mors ex æquo omnia ſoluit, Nouella 22.§ quod autem ſupereſt

Mors diem incertum habet, l.de conditionibus & demonſtrationibus

Mortis cogitatione turbata humana fragillitas res plures memoria conſequi non poteſt, l.hæc conſultiſſima,§.at cũ humana,C. qui teſtament. fac.poſſ.

Morte confitentis dos cauta confirmatur. l.2.C.de dote cauta non numerata

Mortuorum reliquiæ intra ciuitatem condi non debent,l.mortuorum, C.de religioſis & ſumptibus funerum

Mulier neque iure vxoris, vel extranei maritum de adulterio accuſare poteſt, l.1.C ad l. Iul.de adult.

Mulier ad accuſandum admittitur ſi ſuam ſuorũmque iniuriam proſequatur,l.vxor tua,C.qui accuſ.non poſſ.&c.

Melior ſemper cauſa eius qui accepit, dilapidauit,perdidit, l verùm, §.item quæritur de minoribus

Mulier nubens intra tempora luctus efficitur infamis,l.ſi qua mulier,C.ad S.C.Tertyllian.

Mulier in donatione propter nuptias priuilegiũ, prælationis non habet,l.ſi,C.qui pot.

Mulier Velleiani S.C. beneficio renuntiare poteſt, l.finali,§ mulier,D.ad S.C,Velleianum

Mulier in dote omnibus creditoribus chirographariis & hypothecam habentibus præfertur,l. cùm tibi,C.qui potiores & l.aſſiduis eod.

Melioris conditionis non debent eſſe ſtulti quàm periti l.Seruius,D.quod vi aut clam

Mulieri quæ luxurioſe viuit bonis interdici poteſt,l.& mulieri,D.de curatore furioſi

Mulieribus legatis etiam virgines debentur, l.ſeruus D.de legatis 3.

Mulcta damnum famæ non irrogat,l.1.C.de modo mulctarum

Multæ audaciæ & temeritatis ſunt publicanorum factiones,l.quantæ,D.de publicanis

Multiplici onere nemo prægrauandus, l.Nauis,§. cum autem ad legem Rhodiam de iactu

Multo magis per vltimam voluntatem concedi debet quod conceditur inter viuos,l.vnica,C.de lege Fuſia Caninia tollenda

Municipes conſentire non poſſunt, l.vnica, D.de libertis vniuerſitatum

Muti & ſurdi natura,hæreditati obligantur,l.5.D. de adquirenda hæreditate

Mutatio nominis non fraudulosa, libero homini eſt permiſſa,l.vnic.C.de mutat.nom.

Mutatio fori poſt ſententiam prioris iudicis iuriſdictionem non impedit,l.cum quædam puella,D.de iuriſdictione

Mutatione rei non intereunt reales ſeruitutes ſicut perſonales,l.ſeruitutes,§.ſi domo, D.de ſeruitutibus

N

Natura rerum inductum vt plura ſint negotia quàm vocabula,l.natura, D.de præſcriptis verbis

Naturales obligationes tranſeunt in fideicommiſſarium,l.ſi eius pupilli.D. ad S.C.Trebellianum

Naturalis cognatio vltra ſeptimum gradum non extenditur,l.non facile,D.de gradibus

Naturales rationes pro legibus amplectendæ,l.cũ ratio de bonis damnatorum

Naturaliter videtur poſſidere is qui vſumfructum habet. l.naturaliter, D.de acquirenda poſſeſſione

Nec damnoſa fiſco nec iuri contraria poſtulari oportet,l.omnes,C.ſi contra ius

Nec paupertas defuncti,nec damnum iniuria tertij illatum hæredem ære alieno liberant,l.ſi te bonis C.de iure delib.

Neceſſaria prætermiſſa imminuunt contractus, & teſtatoris voluntati officiunt,l.teſtamentum, C. de teſtamentis ordinandis

Neceſſitate rerum impeditis non negligentibus ſubuenitur,l.non enim D. ex quibus cauſis maiores

Negligentia non imputatur ignorãti.l.ſi tutor,C.

de periculo tutorum.

Nemini ſua calliditas prodeſſe debet, l. ſed etſi, ff. ad exhibendum.

Nemini caſus ſed culpa tantùm imputatur. l, ſi ex plagiis, §. finali ad legem Aquiliam.

Nemo exiſtimandus dixiſſe quod non mente agitauit, l. Labeo, ff. de ſuppellectile legata.

Nemo tam ſupinus vel ſtultus inuenitur qui ſuũ nomen ignoret, l. cùm in liberis, C. de heredibus inſtituendis.

Nemo cogitur inuitus in communione manere, l. in communione, C. communi diui .undo.

Nemo cogitur alteri prodeſſe, ſed obeſſe vetatur, l. in ſuum §. item varus de aqua pluuia arcenda.

Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit, l. 18. de adimendis legatis.

Nemo alienum factum promittendo obligatur l. ſtipulatio iſta, ff. de verborum obligationibus.

Nemo facere poteſt quominus leges in ſuo teſtamento locum habeant, l. teſtandi, C. de teſtam. ord.

Nemo rem ſuam niſi furi condicit, l. finali, ff. vſufructuarius quemadmodum caueat.

Nemo inuitus compellitur ad communionem, l ſi non ſortem. §. nemo, ff de condictione indebiti.

Nemo ex alterius damno locupletari debet, l. planè. ff. de petitione hereditatis.

Nemo dominus membrorum ſuorum eſſe videtur, l. liber homo. ff. ad legem Aquiliam.

Nemo rem ſuam propriam condicit niſi ex cauſa furtiua vel per vim ei abrepta ſit, l. 1. §. rem autem, ſi de condictione triticaria.

Nemo ſibi patrem adſignare poteſt, cùm natura adſignet, l, parentes, C de lib. cau.

Nemo plus legati nomine præſtet quàm ad eum ex hereditate peruenit, l. §. ſi is, ff. ad S. C Trebellianum.

Nemo liberalitate ſua inops factus periclitari debet, l. ne liberaliter, ff. de re iudicata.

Nemo tenetur præſtare quod non accepit, l. 18. de legatis 1.

Nepos præteritus agnoſcendo ex lege Velleia teſtamentum rumpit, l. ſi auus tuus, C. de liberis præteritis.

Nepos præteritus agnoſcendo ſuccedit in locum patris, l. ſi auus tuus, eodem.

Neque maritus neque vxor rem dotalem alienare poteſt, l. rem quã, & l. ſi prædium. C. de iure dotium

Neque ſocietatem, neque collegium omnibus habere licet, l. 1. quod cuiuſque vniuerſitatis.

Nihil ex teſtamento valet ſi inofficioſum teſtamentum arguatur, l. cùm mater. ff. de inofficioſo.

Nihil eſt innouandum pendente appellatione in integrum reſtitutionis, l. poſtulata. C. in integrum reſtitutio poſtula.

Nihil & inualidum æquiparantur in iure, l. ſi aut nullum. C. de legitimis heredibus.

Nihil intereſt inducatur quod ſcriptum eſt an adimatur, l. 16. de adimendis legatis:

Nihil capi propter iniuſtum matrimoniũ poteſt, l. vnica. §. finali ff. vnde vir & vxor.

Nihil tam proprium imperij eſt, quàm ex legibus viuere, l. ex imperfecto. C. de teſtamento ordinando.

Nimis indignum flagitiis præſidia quærere, l. legem. C. de naturalibus liberis.

Nobilitas quæſita mulieri nobilitate prioris viri poſterioris ignobilitate amittitur, l. cùm te non. C. de nuptiis.

Nobiliores prohibentur mercimonium exercere. l. nobiliores. C. de commerciis.

Nihil tam congruum fidei humanæ quàm ea quæ placuerunt ſeruare, l. 1. D. de pactis.

Nolle adire hereditatem non videtur qui non poteſt, l. 4. D. de adquirenda hereditate.

Nomine legato continentur vſuræ, l. inuicem. D. de legatis 3.

Nomina demonſtrant voluntatem dicentis. l. Labeo. D de ſuppellectile legata.

Nomina diuiſionem non recipiunt. l. ea quæ. C. fam. l. æ erciſcundæ.

Non tantum debet faueri legatario vt heredis commoda defraudentur. l. ſi duobus. C. com. de legatis.

Non debemus materiam peccandi malis moribus præſtare. l 1. D. ad S C. Macedonianum

Non competit querela ei qui agnouit iudicium defuncti. l. nihil intereſt. ff. de inofficioſo teſtamento

Non cogitur arbiter dicere ſententiam compromiſſo non interueniente. l. litigatores. D. de receptis.

Non cogitur filiusfamilias vxorem ducere. l. 21. ff. de ritu nuptiarum.

Non debet factum nocere ei qui nihil fecit. l. de pupillo. §. ſi quis fortè. ff. de noui operis nuntiatione.

Non poteſt animal iniuriam facere. l. 1. §. pauperies, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur

Non debet conductori vis maior damnoſa eſſe. l. ſi merces. §. vis maior. ff. locati.

Non ſine iuſta ratione ex arbitrio viuentium, morientium deſideria colliguntur. l. quoniam. C. de naturalibus liberis.

Non debet alicui ad exercendam animi obſtinatioris dementiam patere occaſio. l. nullus. C. de ſum. trinit.

Non probat hoc eſſe quod ab hoc contingit abeſſe. l. non hoc, C vnde legitimi.

Non ſicut viuentium ita defunctorum actus ſuſpendi receptum eſt. l. finali. §. fina. ff. communia prædiorum

Non eſt licitum ex tumultu perfidiæ occaſionem quærere l. nullus. C. de ſum. trinit.

Non iuris ſed facti ignorantia prodeſt. l. 1. ff. de iuris & facti ignorantia

Non valet obreptitium reſcriptum vel de illicitis impetratum. l. 1. & l. 2. C. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur

Non exemplis ſed legibus eſt iudicandum. l. nec in ſimili. C. quibus res iud. &c. & nemo. C. de ſent. & interlocut.

Non valenti agere nulla currit præſcriptio. l. 1 C. de annali except. &c.

Non conuenit filium temporalem habere. l. 34. ff. de adoptionibus.

Nutu relinquitur fideicommiſſum, l. 20. de legatis

Non alienat qui tantùm amittit poſſeſſionem. l item, ¶. poteſt, ff. de alienatione iudicij mutandi cauſa facta

Non poterit ex vno iudicio res iudicata in partẽ valere, & in partem non valere. l. in hoc iudicio, ff. de familiæ erciſcundæ

Non ſunt reſuſcitanda quæ iudiciali ſententia finita ſunt, l. 2. §. quæ enim, C. de veteri iure enucleando

Non poteſt fideicommittere qui teſtari non poteſt, l. 1. de legatis, 3.

Non eſt æquum inuitum ſine pretio res ſuas vendere, l. non enim. ff. de actione rerum amotarum

Non admittitur concurſus inſtituti & ſubſtituti; l. cùm in, ff. de heredibus inſtituendis

Non iure facta à principe confirmari poſſunt, l. 38. ff. de adoptionibus

Non debet lucrum ſentire qui fraudis particeps eſt, l. pollicitatione, C. de donationibus ante nuptias

Non valet pactum quo deterior conditio mulieris in dote reddatur, l. de die, ff. de pactis dotalibus

Non



Non aboletur turpitudo quæ poſtea intermiſſa eſt, l. 43. verſiculo neque, D. de ritu nuptiarum.

Non debet retorqueri ad eorum læſionem quod fauore quorundam conſtitutum, l. quod fauore, C. de legibus.

Non verbis ſed rebus leges imponi debent, l. omne verbum, C. communia de leg.

Non videtur circumſcriptus minor qui iure ſit vſus communi, l. finali, C. de in integrum reſtitut.

Non eſt nouum vt duæ obligationes in eiuſdem perſona de eadem re concurrant, l non eſt nouũ. D. de actionibus empti.

Non refert à quo ſit impetratum dummodò à principe ſit conceſſum, l. 6. C. de precibus imperatori offerendis.

Non probatum vel non allegatum in cauſa principali poteſt allegari & probari in cauſa appellationis, l. eos qui, §. ſi quid, eo, & l. per hanc, C. de tempo. &c.

Non plus habet creditor quàm is qui pignus dedit, l. ſi ſuperatus, D. de pignoribus.

Non ſolet locatio dominium mutare, l. non ſolet, D. locati.

Non neceſſaria verborum multiplicatio non mutat ſubſtantiam rerum, l. pediculis, D. de auro & argento legato.

Non minus eſt lenocinium facere quàm corpore quæſtum exercere, l. palam, §. lenocinium, D. de ritu nuptiarum.

Non auditor contumax niſi reſtituat expenſas & damna, l. ſancimus, C. de iudiciis.

Non remittitur conditio quæ viduitatem non inducit, ſed viduitati ſolatium præbet, l. legem, C. de indicta viduitate.

Non factum ſed ius in ſtipulatione verſatur, l. ſtipulatione, §. hi qui ſunt, D. de verborum obligationibus.

Non fatetur qui errat, niſi ius ignorauit, l. D. de confeſſis.

Non debet alij nocere quod inter alios actum eſt, l. quia, D. iureiurando.

Non quæritur in ſucceſſionibus cui acquiratur, ſed cui honor habitus ſit, l. ſed etſi mortis, D. de legatis præſtandis.

Noxa caput ſequitur, l. final. D. de noxalibus actionibus.

Nuda voluntate fideicommiſſa infirmantur, l. 18. de legatis 3.

Nuda pactio obligationem non parit, ſed exceptionem, l. iuriſgentium, § igitur. D. de pactis.

Nuda conuentione non traditione tantùm pignus contrahitur, l. 1. D. de pigneraticia actione.

Nudo pacto ciuitatibus debentur vſuræ rerum creditarum, l. etiam de vſuris

Nuda & imaginaria venditio nulla eſt, l. nuda, D. de contrahenda emptione.

Nudus miniſter in legato nullum commodum ſentire debet, l. 88. §. 1. de legatis 2.

Nulla dignitas impedit nuptias etiam cum ignobiliore matrimonium contrahere. Authentica ſed nouo iure, C. de nuptiis.

Nulla ſocietatis in æternum coitio, l. nulla, D. pro ſocio.

Nullius eſt momenti quod contra ius vel vtilitatem publicam profertur, l. iubemus, C. de ſacroſ. eccleſ.

Nulla lege prohibitum eſt vniuerſa bona in dotem dare, l. nulla lege. C. de dotis promiſſione.

Nulla pactione effici poteſt ne dolus præſtetur, l ſi vnus, §. illud, D. de pactis.

Nulli res ſua ſeruit, l. in re communi, D. de ſeruitutibus.

Nulla fœmina habet ſuos heredes, l. nulla, D. de ſuis & legitimis.

Nulla differentia inter hæc ſi quid non fiat vel perperam fiat, l. nulla de auctoritate tutorum.

Nulla mora contracta à venditore periculum eſt emptoris, l. lectos, D. de periculo rei venditæ.

Nullum violentum perpetuò tolerandum, l. 2. de his qui ſunt ſui.

Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, l. nullus, D. de teſtibus.

Nunquam ſuperficies ſine ſolo vſucapitur, l. nunquam, D de vſucapionibus.

Nuptiæ ſine dote celebrari poſſunt, ſed dos ſine nuptijs conſtitui non poteſt, l. cùm multæ, C. de donationibus ante nuptias.

Nuptias facit maritalis honor & affectio, nouella 22. §. matrimonium.

Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, l. 15. D. de conditionibus & demonſtrationibus.

O

OB debitum viri vxoris res capi non poſſunt, & qui capit, vim committit, l. 1. C. ad leg. Iul. de vi pub. &c.

Ob reuerentiam paternam actio famoſa contra patrem non datur, l. ſi ſuperſtite, C. de dolo.

Ob defenſa negotia patriæ neminem ſequitur infamia, l. neminem, C. ex quibus cauſis.

Ob dolum à tutela remotus infamis efficitur, l. fin. C. de ſuſpectis tutoribus.

Ob culpam à tutela remotus infamis non fit, l. fin. C. de ſuſpectis tutoribus.

Ob moram à reo commiſſam obligatio fideiuſſoris non augetur, l. centum Capuæ, D. de eo quod certo loco.

Ob ſupinam negligentiam vſufructuarius ad proprietatis æſtimationem tenetur, l. prima, §. interdum vſufructuarius quemadmodum caueat.

Ob infirmitatem ſexus tutelæ munus fœminis cõmitti non debet, l. 1. C. quando mulier.

Obligatio prioris conſenſu, & contrahitur & diſſoluitur, l. ſi probauerit, C. de remiſſione pig.

Obſcuritas pacti potius nocet venditori quàm emptori, l. Labeo de contrahenda emptione.

Occupatio circa res militares non ſola militiâ præbet reſtitutionis beneficium, l. ſancimus, C. de temporal. in integrum reſtitut.

Occupantis melior eſt conditio, l. ſi verò, D. de peculio.

Officium ſuum nemini nocere debet, l. ſed & ſi quis quemadmodum teſtamenta aperiantur, l. ſi ſeruus, §. quod verò de furtis.

Officij præſtiti remuneratio mera donatio non eſt, l. Aquilius, D. de donationibus.

Omne periculum emptione perfecta ad emptorem pertinet, l. cùm inter, C. de periculo & com. rei vend.

Omnes iudices in iudicando veritatem & legum iuſtitiæque veſtigia ſequi debent, l. nemo iudex, C. de ſent. & interlocut.

Omnes ſcire debent quod ſuum non eſt hoc ad alios modis omnibus pertinere, l. cùm quærebatur, C. vnde vi.

Omnis fructus non iure ſeminis, ſed iure ſoli percipitur, l. qui ſit, D. de vſuris.

Omnis actus ab agentis intentione iudicandus, l. 1. C. ad legem Corneliam de ſicarijs.

Omnibus mortis cauſa capere permittitur qui & legata accipere poſſunt, l. omnibus, D. de mortis cauſa donationibus.

Omnibus conceditur renunciare iis quæ pro ſe introducta ſunt, l. ſi quis in conſcribendo, C. de epiſcopis & clericis.

Omni obligationi fideiuſſor accedere poteſt, l. 1. D. de fideiuſſoribus.

X

Opera in actu conſiſtit, l. prima, D. de operis ſeruorum

Opera neque peti neque promitti neque ſolui pro patre poteſt, l. libertis, D. de operis libertorum

Operis noui nuntiatio in rem fit non in perſonã, l. operis, D. de noui operis nuntiatione

Operæ pars intelligi non poteſt, l. 1. §. ſi vſusfructus, D. ad legem falcidiam

Operis effectus in partes ſcindi non poteſt, l. in executione, D. de verb. oblig.

Optione legata ante aditam hereditatem optari non poteſt, l. optione, D. de optione legata

Oportet ſeruos vbicunque ſenſerint dominum periclitantem ad prohibendas iniurias concurrere, C. de his quibus vt indignis

P

PActum per quod ius ciuile impugnatur non valet, l. illud, D. de pactis dotalibus

Pactum cohæredum non præiudicat creditoribus, l. licet pacto, C. de pactis

Pactum de futura ſucceſſione iure non ſubſiſtit etiam inter vir. & vxor. l. hereditas, C. de pactis conuentis

Pactum inutile non habet vim pacti, nec vim vltimæ voluntatis, l. hereditas, C. eodem

Pactum contra legem inutile eſt, l. quod de bonis, §. frater, D. ad leg. Falcidiam

Pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, l. lecta, D. de rebus creditis

Pactum conuentum exceptionem perpetuam parit, l. ſoluitur, D. quibus modis pignus vel hypotheca ſoluatur

Pactum à iure communi recedens ſeruari non debet, l. iuriſgentium, D. de pactis

Pactum contra naturam contractus valet, l. Lucius Titius, D. depoſiti

Pacta dant legem contractui, l. 1. §. ſi conuenit, D. depoſiti

Par in parem non habet imperium, l. apud eum, D. de manumiſſionibus

Parentes venerandi nec contumeliis afficiendi, l. 1. D. de obſequiis parentibus præſtandis

Parentes cauent ne ſuæ opinioni contrarium quid exiſtat, l. 2 C. quid & aduerſus quos

Parentis intereſt filium ſeruitutem non ſubire, l. 1. D de liberali cauſa

Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere iuſtum eſt, l. parentum, C. de alendis liberis

Parentes naturales in ius vocare nemo poteſt, l. parentis, D. de in ius vocando

Paria delicta mutuo compenſantur, l. viro in fine ſoluto matrimonio

Paris affectionis cauſa ſuſpicionem fraudis amouet, l. 68. D. de ritu nuptiarum

Partes adiectæ in inſtitutione repetitæ cenſentur in ſubſtitutione, l. 1. C. de impuberum & aliis ſubſtitutionibus

Partim teſtatus partim inteſtatus ex poſt facto quis decedere poteſt, l. circa inofficioſi, D. de inofficioſo

Partium conſenſus incompetentem iudicem competentem facit, l. 1. D. de iudiciis.

Partus antequam edatur, viſcerum mulieris portio eſt, l. 1. D. de inſpiciendo ventre

Partus natus ex muliere quinquagenaria legitimus eſt, l. ſi maior, C. de legitimis heredibus

Partus ſequitur matrem, l. 84. §. Stichum de legatis 1.

Partus nondum editus homo non rectè fuiſſe dicitur, l. in Falcidia, D. ad leg. Falcid.

Partus ſequitur conditionem matris, l. partum, C. de rei vind.

Parum eſt ius in ciuitate niſi ſint qui iura reddere poſſint, l. ſecunda, de origine iuris, §. poſt originem

Pater & filius iuris fictione vna perſona intelliguntur, l. ſi quis duobus, C. de impub & aliis ſubſt.

Pater non poteſt ſupplere defectum ætatis in filio, l. ſi pater, C. de ſer. pig. &c.

Patientia non ſolum inducit præſumptionem conſenſus, ſed inducit præſumptionem veritatis & ſolennitatis, l. ſi filium, Cod. de pat. poteſt.

Patris & filij teſtamentum pro vno habetur etiam iure prætorio, l. patris & filij, D. de vulgari ſubſtitutione

Patria poteſtas inæſtimabilis eſt, l. 114. §. vt quis de legatis 1.

Pauperibus labore & induſtria augere patrimoniũ ſuum non eſt interdicendum, l. ſi defunctus, C. arbitrium tutelæ

Pecunia ſignata legato auri vel argenti non continetur, l. cùm aurum, D. de auro legato

Paria delicta mutua penſatione diſſoluuntur, l. viro, D. ſolut matrim.

Pendente relatione iudicis officium conquieſcit, l. ſi quando, C. de relationibus

Per partes retinetur ſeruitus licet ab initio per partes adquiri non poſſit, l. vt pomum, l. pro parte, D. de ſeruitutibus

Per traditionem vel per patientiam ſeruitutes vrbanorum prædiorum conſtituuntur, l. ſi ego eum, §. ſicubi, D. de vſufruct.

Per pactum non poteſt tolli filio ius agendi ad ſupplementum legitimæ, l. ſi quando, § illud etiam, C. de inoffic. teſtam.

Per conſequens multa permittuntur quæ principaliter denegantur, l. prima de autoritate tutor.

Per errorem lata ſententia pro veritate habetur, l. ſeruo, §. cum prætor, D. ad S. C. Trebellianum

Per reſcriptum non reſcinditur teſtamentum iure perfectum, l. ſi teſtamentum, Cod. de teſtament. ord in.

Per codicillos hereditas confirmari non debet, l. quidam, C de neceſſariis heredibus

Per tranſitum ad ſecundas nuptias pater non perdit vſumfructum in bonis filij quæſitum, l. omnem, C. de bonis maternis

Per filiam patri pacto acquiri poteſt, per patrem filiæ non poteſt, l. cùm duos, D. de pactis dotalibus

Periculum caſus fortuiti pertinet ad emptorem, l. cùm emptor, D. de reſcindenda venditione

Perempta obligatione principali fruſtra quæritur de hypothecaria, l. fœnerator, D. de nautico fœnore

Perfecta emptione periculum ad emptorem reſpicit, l. neceſſario, D. de periculo & commodo rei vend.

Periculum interitiis pertinet ad furem vel metum inferentem, l. perſequutionem, C. de his quæ vi metuſve cauſa

Periculum acoris & mucoris etiam ante ſignationem ad emptorem pertinet, l. ſi quis vina, §. ſi auerſione de periculo & commodo rei venditæ.

Permutatio vicem emptionis obtinet, l. Permutationem, C. de rerum permutatione

Petitio bonorum poſſeſſionis hereditatis aditionẽ præſupponit, l. etiam, §. vt patronus, D. de bonis libertorum

Petitio hereditatis longi temporis præſcriptione non tollitur, l. hereditatis, Cod. de rei vind.

Pietas patris non eſt reprehendẽda, l. 1. §. at ſi tranſegit, D. ſi quid in fraudem patroni

Pignoris perſecutio in rem parit actionem creditori l. pignori de pignoribus

Pignoris cauſa vſucapione non perimitur, l. 1. §. cum prædium de pignoribus

Pignori rem acceptam vſu non capimus, l. pignori, D. de vſucap.

Pignus conſenſu contrahitur, l. cùm conſtet, C. quæ res pignori oblig.

Plerunque fœmina ſuo conſilio ſibi nocet, l. ſi pater, C. de ſponſalibus

Plura imperfecta non faciunt vnum perfectum, l. ſi tres tutelas, Cod. qui numero tutelæ ſe excuſant

Plus eſt hominem extinguere veneno quàm occidere gladio, l. plus eſt, C. de malefi. &c.

Plus eſt in opinione quàm in veritate, l. is qui putat, D. de acquirenda heredit.

Plus fauetur ei qui de damno vitando quàm qui de lucro capitando agit, l. etſi quis, D. de religioſis

Plus quàm datum eſt adimi poteſt, l. 3. D. de adimendis legatis

Plus eſt in re quàm in exiſtimatione, l. ſi pater, D. de manumiſſionibus

Pœna non debet egredi delinquentem, ſed ſuum tenere authorem, l. ſancimus, C. de pœnis

Pœna pecuniaria delinquentis tranſit in heredes, l. fciam, C. ad l. Iul. repetundarum

Pœna rei impoſſibilis non committitur, l. ſi homo mortuus, D. de verborum oblig.

Pœna per ſententiã impoſita eſt perpetua, l. caſtitati, C. ad leg. Iul. de adult.

Pœna vnius alterius præmium eſſe non debet, l. ſi ſequens, D. de Senatuſconſulto Syllaniano

Pœna non præſtatur vbi nihil intereſt, l. ſeruus, D. de ſeruis exportandis

Pœnæ non repetuntur cùm depenſæ ſunt, l. pœnæ, D. de cond. indeb.

Pœnam ſententia dictam reuocare iudici non licet l. pœnam C. de pœnis

Pœnarum vſuræ peti non poſſunt, l. fin. D. de magiſtratibus conueniendis

Pœnalis actio non datur in heredes, l. 1. §. hanc actionem, D. de tutelis & rationibus diſtra.

Pollicitatio reipublicæ ob honorem facta valet, l. hoc iure, D. de donationib.

Portio deficiens adcreſcit pro portionibus hereditariis. l. Lucius Titius, §. pater, D. ad ſenatuſconſultum Trebellianum

Poſſeſsio non tantum corporis ſed & iuris eſt, l. poſſeſsio, §. qui in aliena, D. de acquirenda poſſeſsione

Poſsideri poſſunt quæ ſunt corporalia, l. poſsideri, D. de acquir. poſſ.

Poſſunt nuptiæ inter quinquagenarios & ſexagenarios contrahi, lege ſancimus Codice de nuptiis

Poſſunt plures de eodem crimine accuſari in vno libello lege prima, Codice ſi reus vel accuſ. &c.

Morte rei finitur delictum, l. defunctis, Codice ſi reus vel accuſ. &c.

Poſſumus certam legem dicere ei quod ſoluimus, l. 1. D. de ſolutionibus

Poſt omnes heredum gradus exheredatio ab omnibus gradibus facta ſcripta videtur, l. cùm poſt omnes, C. de liberis præteritis

Poſt legalem dilationem quæ iudicatis datur executio legitimè fieri debet, l. eos quos de execut. rei iud.

Poſt finitam tutelam ſuſpecti cognitio ſoluitur, l. poſt finitum, D. de ſuſpectis tutoribus

Poſt litem conteſtatam poſſeſſor in reali malæ fidei conſtituitur, l. litigator, Cod. de fructibus & lit. expenſ.

Poſt abſolutum dimiſſamque iudicium, nefas eſt litem alteram conſurgere ex litis primæ materia l. terminato, C. de fructib. & lit. &c.

Poſteriora potiora prioribus, l. vltima, D. de conſtitutionibus

Poſthumo preterito quamuis natus illico deceſſerit, teſtamentum ruptum non reſtituitur, l. vxoris, C. de poſthumis heredibus

Poſthumus tantum natus partem facit in legato, l. 7. D. reb. dub.

Potius hoc videtur quod nouiſſime factum eſt, l. ſi quis D. de acquir. poſſ.

Præceptoris nimia ſæuitia culpæ aſſignatur, l. peruerſus, D. ad legem Aquiliam

Prælegata imputantur in Falcidiam. l. neſcimus, ff. ad leg. Falc.

Præſcriptiones longi temporis minoribus non currunt, ſed longiſſimi, l. ſancimus, Codice ex quibus cauſis

Præſumptione nobiliores in dubiis ſemper eligendæ, l. incerto pro ſocio

Præſumptioni apertiſſimæ probationes debent opponi, l. non eſt. ff. quod metus cauſa

Prætextu liciti illicitum non permittitur, l. 2. de extraordinariis criminibus

Prætextu reſcripti à principe impetrati appellandi facultas non denegatur, l. nouum, C. de temporibus

Prætextu reſcripti impetrati mala non debent patrari, l. finali. Codice de inceſt. nup.

Prætor ob oculos æquitatem habere debet. l. ſi vero, ff. de his qui effud.

Pretio rerum communiter funguntur non ex affectione ſed ex vtilitate ſingulorum, l. ſi ſeruum, ff. ad leg. Aquil.

Princeps debet eſſe humanus non ſuperbus, l. ſi vnus, C. de donationibus

Priuatorum pactis ius fiſcale non conuellitur, l. inter debitorem, ff. de pactis

Priuilegium vni perſonæ conceſſum ad aliam non extenditur, l. vnica, C. ſi in cõmuni eademque cauſa

Priuilegia non faciunt ius generale, l. quæ ex relationibus, C. de legibus

Priuilegia non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſa, l. priuilegio, ff. de rebus authoritate iudicis poſſidendis

Priuatorum commodis publica vtilitas præferenda l. res quæ, C. communia de legatis

Priuatorum pactis ius publicum mutari non poteſt, l. ius publicum ff. de pactis

Prius terminari poſſeſsionis quæſtio quàm proprietatis & criminis debet, l. prius, C. de appel.

Priuatos carceres abſque ſingulari permiſsione habentes, vltimo ſupplicio ſunt afficiendi, l. iubemus, C de priuat. car.

Pro herede gerere non facti ſed animi eſt, l. pro herede, ff de acquir. her.

Pro herede vſucapere poteſt qui teſtamenti factionem habet, l. finali, ff. pro herede

Pro ſuperſtite habetur qui in vtero eſt. l. vbicunque, ff. de ventre in poſſeſsionem mittendo

Pro viuis habendi qui in acie pro republica ceciderunt, l. bello amiſsi, ff. de excuſationibus

Pro infectis habenda quæ contra leges fiunt, l. iubemus, 2. §. ſanè ſi hæ, C. de ſacroſ. eccleſ.

Pro quacunque obligatione res hypotecæ dari poſſunt, l. res hypothecæ, ff. de pignoribus

Pro infectis habentur quæ contra leges vel in earum fraudem fiunt, leg. non dubium, Cod. de legibus

Pro locuplete qualiſcunque neceſſaria perſona accipitur, l. quoniam, ff. in ius vocati vt eant

Prohibita alienari in fideicommiſſum vniuerſale non veniunt, l. Lucius, §. pluribus, ff. ad S.C. Trebellianum

Probatio incumbit ei qui dicit non ei qui negat, l. 2. & l. eum qui & l. verius, ff. de probat.

Probationum facultas non eſt anguſtanda ſed

ampliãda,l.quoniam,Cod.de hæreticis

Probabilis error poſsidentis vſucapioni non obſtat, l.fin.D.pro ſuo

Procurator litis dominus per litis conteſtationem efficitur, l. quod quis, Cod. de procuratoribus

Procurator litem conteſtatus procuratorem ſubſtituere poteſt,l.quod quis,Cod.eodem

Prodeſſe ſibi vnuiſquiſque dum alij non nocet non prohibetur, l. 1. §. idem aiunt, D. de aqua pluuia

Promiſsionem etiam à ſciente factam impoſsibilitas de iure vitiat.l.ea quæ,Cod.de donationibus ante nuptias

Pronuntiatio ſententiæ victori fiat ius, leg.30.de legatis 3.

Pro portione hæreditaria aditio hæreditatis debitum confundit, l. ſi ab eo, Cod.de negot.geſt.& cùm tutores eodem

Propriæ res legari vel fideicommitti non poſſunt, l. proprias,Cod.de legatis

Proteſtatio minus ius habentis non obeſt plus iuris habenti, l. obligata, Cod. ſi antiquior cred. pign.

Prouiſio legis fruſtranea eſſe non debet, l. fin. §.& cùm antiquitas,eod.

Prouiſio hominis facit ceſſare prouiſionem legis, l. fin.Cod.de pactis conuentis

Publicè expedit ſuprema hominum iudicia exitum habere,l.vel neque,D.teſtamenta quemadmodum aperiuntur

Publicæ ſalutis & ſecuritatis intereſt cloacas & riuos purgari, l. de pupillo,§.ſi quis,D.de noui operis nuntiatione

Publicus vrbis aſpectus deformari non debet, l.negotiandi,Cod.de ædif.priuatis

Puella cùm in tutelam ſuam peruenit viripotens eſt,l.ſi filiusfa.D.de legatis 3.

Puella non dicitur nolle nubere priuſquàm ſit viripotens, leg. pater Seuerinam, D. de conditionibus.

Puellam deſponſatam fratri etiam virginem ſuperſtes frater in vxorem ducere nequit, l. licet quidam,C.de inceſtis nupt.

Puerilis ætas furioſo comparatur, l. pupillus, D. de acquir.hered.

Puniendum eſt conſilium quod ad perniciem probitatis trahi poteſt, l.ſi quis ſeruo,C.de ſeruis corruptis.

Punitur affectus licèt non ſequatur effectus, l. ſi quis non dicam,C.de epiſcopis & clericis.

Pupillus ſine tutoris authoritate nouare non poteſt, l.nouare,D.de nouationibus.

Pupillus obligari tutori eo authore non poteſt,l.pupillus de authoritate tutorum.

Pupillo lucrum ex alieno damno captanti obſtat doli exceptio, l.ſi fundus, §. quanquam. D.de rebus eorum.

Pupillorum repudiatio delatæ hereditatis ſine tutoris authoritate nihil eis nocet, l. pupillorum, C.de repudianda.

## Q

QVæ per errorem omiſſa vel ſoluta ſunt, condici poſſunt, l. niſi ſi dolo. §. ſi legatum, D.ſi cui plus quàm per legem Falcidiam.

Quæ datur viro ob dotem conuento exceptio competentiæ non peremptoria ſed dilatoria eſt, l.ne maritus, C. de tutoribus vel curatoribus qui non ſatiſdant.

Quæ commendandi cauſa in venditionibus dicuntur venditorem non obligant, l. ea quæ commendandi,D.de contrahenda emptione.

Quæ iure magiſtratus competunt mandari poſſunt, leg. prima, D. de officio eius, cui mandata eſt.

Quæ naturalia ſunt ſeparari non poſſunt, l. abdicatio,C.de pat.poteſt.

Quæ à patre geruntur non debent per filium ad irritum reuocari, l.quæ à patre,C.de vxoribus militum

Quemlibet obligatio ex perſona noſtra initium ſumere debet, l.quæcunque, D.de obligationibus & actionibus

Quælibet hereditas ſoluendo videtur quæ inuenit heredem,l.libertus,D.de bonis libertorum

Quæ ſub conditione iuriſiurandi relinquuntur reprobantur, l.8. D. de conditionibus & demonſtrationibus.

Quæ clam committuntur facinora,grauius coercenda quàm quæ palam,l.cum ancillis, C.de inceſtis nuptiis

Quæſtio voluntatis defuncti in æſtimatione iudicis eſt,l.voluntatis,C.de fideicommiſſ.

Quæ eodem tempore confirmantur ſimul fieri videntur, l. etſi à patre, Cod. de teſtamentaria tutela

Quando duo vocabula veniunt ad determinationem eiuſdem verbi, debent intelligi vt vniformiter operentur,l.cùm ſolitum,Cod.de ſentent. & interlocut.

Quando aufertur hereditas ab indigno abſque ſuo delicto ad proximiores conſanguineos deuoluitur hereditas, lege prima Codicé de his quibus vt indignis

Quando plures inſtituuntur cum adiectione nominis diſtributiui,quilibet in virilem inſtitutus videtur,l.ſi quis duobus Codice de impub. & aliis ſubſtit.

Quamdiu poteſt ex teſtamento adiri hereditas ab inteſtato non defertur, l. quamdiu, D.de acquirenda hereditate

Quandiu manet contractus bonæ fidei currunt vſuræ, leg. ſi in iudicio, D. de acceptione rei iudicatæ

Quandiu inſtitutus admitti poteſt ſubſtituto locus non eſt, lege quamdiu, D. de adquirenda hereditate

Quarta pars donata excludit querelam, lege Papinianus, §. ſi quis, D. de inofficioſo teſtamento

Quem non honoro eum onerare non poſſum, lege 121.de legatis 1.§.vlt.

Quem de euictione tenet actio eundem agentem repellit exceptio,l.vindicantem de euictionibus,& l.1.D.de emptione rei venditæ

Qui in mora vel culpa non eſt pœnam lege ſtatutam pati non debet, l. ſororem, Codice eodem

Qui longo tempore vſucapit dominus eſt, l.ſi finita, D.de damno infecto

Qui affectionem tenendi habet,poſsidet, l.1.§.adipiſcitur,D.de acquirenda poſſeſsione

Qui victus eſt de poſſeſsione petitoris partibus fungitur, lege exitus, D. de acquirenda poſſeſsione

Qui iuſſui matris non obtemperat,iura pietatis videtur violare, l.contra voluntatem, C. de teſtament. manumiſ.

Qui alieno laborant vitio gratia & venia indigni non ſunt, leg. legem, Codice de naturalibus liberis

Qui damnare poteſt is abſoluendi quoque poteſtatem habet, leg. qui damnare, D. de re iudicata

Qui fari non poteſt ſtipulari non poteſt, tot ſunt ſtipulationes quot ſunt res, l.vbi, D.de verborum obligationibus

Qui bis idem promittit ipſo iure amplius quàm ſemel non tenetur, l.qui bis,D.de verborum obligationibus

Qui in locum priuati vel alterius ſuccedit eodem iure vtitur.l,cùm quidam de vſuris

Qui prior

Qui prior appellat prior agit. l.qui prior, D.de Iudiciis

Qui ſemel elegit non habet licentiam altero electo ad alterum tranſire,l. trigeſimatertia de legatis 1.

Qui reddit chirographum creditori, ius pignoris admittit, l. creditricem, Cod. de remiſſione pig.

Quid falſo vel variè teſtimonium dicit officio iudicis puniri debet, l. qui falſo, D. de teſtibus

Qui non capit partem facit partem, l. 7. de legat.2.

Qui habet tranſitum iter habet ad hauriendum, l. item ſic, §. qui habet, D.de ſeruitutibus ruſticor.

Qui diuinæ legis ſanctitatem aut neſciendo omittunt, aut negligendo violant,& offendunt, ſacrilegium committunt, l.prima Cod. de crimine ſacrilegij

Qui rem vult vindicare ratione dominij, poteſt prius ad exhibendum experiri,l. ſi dominium,C. de religioſis

Qui petit dilationem ad ſoluendum, videtur ſententiam approbare & appellationi renunciare, l. ad ſolutionem,C.de re iudic.

Qui ſemel heres eſt amplius non poteſt deſinere eſſe hæres, l.ei qui ſoluendo, D. de hered. inſtit.

Qui in poteſtate parentis eſt teſtamenti faciendi ius non habet,l. qui in poteſtate,D.qui teſtamenta facere poſſunt

Qui tacet conſentire viditur,lege quinta de adopt.in fin.

Qui vult conſequens velle videtur antecedens,l.2.de iuriſdict.

Qui depectus eſt data pecunia ſolutum non repetit l.& generaliter,D.de calumniatoribus

Qui in vtero eſt habetur pro iam nato,l.etiam ei D. de minoribus

Qui per dementiam contradicere non poteſt conſentire videtur, l. ſoluto; §. & Iulianus, D. ſol.mat.

Qui rem non habet ei nihil adcreſcit, l. ſi tutor. D. acquir.hered.

Qui emolumentum habet,ille etiam onus ſentire debet,l.hi quos,C.de alluuio.&c.

Qui legitimo tempore non appellat, videtur ſententiæ acquieuiſſe.l. ab eo C. quomodo & quando iudex,&c.

Qui lucrum ſentit & damnum ſentire debet, l. dotem,C.de iure dotium

Qui in vtero eſt pro iam nato habetur ſi de eius commodo tractatur,l.cùm quidam,D.de acquirenda hereditate

Qui in legem committit priuilegium legis amittit, l.1.C.de hereticis

Qui excipit probare debet exceptionem, l. ſi pactum, & l.in exceptionibus, D. de probationibus

Qui non ſubtiliter factum emendat laudabilior eſt eo qui inuenit, l. 1. C. de veteri iure enucleando

Qui à recto religionis tramite diſcedunt dementes veſanique iudicandi,l.1.C.de ſumm.trinitat.

Qui non eſt dominus rei, nec de ea teſtari poteſt; Auth.ingreſſi,C.de ſacroſ.eccleſ.

Qui ſtudiorum cauſa abeſt abeſſe non videtur,l.queſitum.D.de legatis 3.

Qui iuſſus eſt facere vt habeam tenetur mihi dare l.73.de legatis 1.

Qui non probat id quod imperator fecit ex certa ſciẽtia,committi ſacrilegium,l.2.C.de cri.ſacril.

Qui in iudicio non contradicit conſentire videtur l. cum ſtradimus, §. fideiuſſore, D. de fideiuſſ. tuto.

Qui ſoluit pro herede ſe gerere videtur,l.cum debitum, C. de iure delib.

Qui lege permittente delinquit non punitur,l.Gracchus,C.ad leg.Iul.de adult.

Qui cum alio contrahit, vel eſt vel eſſe debet alterius conditionis non ignarus l. inciuilem, C. de furt.& ſer.corrupt.

Qui non habet in ære luat in corpore, l.quicunque C.de ſeruis fugitiuis

Quibus legare poſſumus eorum quoque ſeruis legare poſſumus,l.12.de legatis 1

Quicquid ob tutelam fit iure fit, l. vt vim de iuſtitia & iure

Quicquid mulier quærit ex bonis mariti quæſiuiſſe præſumitur

Quicquid ademptum eſt non videtur datum, l.14.de leg.1.

Quicquid iudicis poteſtati committitur neceſſitati non ſubijcitur,l.non ſemper,C.quomodo & quando iudex,&c.

Quicquid ad vtilitatem venditoris pertinet pro meliore conditione haberi debet, l. quidquid de in diem addictione

Quod legitime non apparet pro eo quaſi non eſſet habendum, l. vnica, C. de mandatis principum

Quod vulgo dicitur filiisfamilias credi non debere non ad verba ſed numerationẽ referendum.l.qui in quod ad S.C.Macedonianum

Quod ſpecialiter declaratur,validius operatur,quam quod in genere prędicatur.l.libertas.C.de ſer.pig. &c.

Quod immoderate vni ex liberis, donatum eſt ad patrimonium donatoris reuertitur. l. ſi notas. C.de inofficioſis donationibus

Quod conſenſu contractum eſt contraria voluntate reſoluitur.l.1.C.quando licet ab emptore

Quod non valet vt ago,non valet vt valere poteſt ſi intentio mea contraria ſit. l.1. D.de iure codicillorum

Quod iuris de toto quoad totum, idem iuris eſt de parte quoad partem. l. ſed & ſi quis. C. de ſecundis nuptiis

Quod in fauorem alicuius inductum in odium retorqueri non debet.l. generaliter.Cod.de ſecundis nuptiis

Quod pro publica vtilitate introductum à partibus remitti non poteſt.l. finali.§. ſed quia. C.de iure. in.prop.calum.

Quod facti eſt pupillus abſque tutoris authoritate poteſt amittere. l. poſſeſſionem. D. de acquirenda poſſeſſione

Quod differtur non aufertur. l. deberi.C. fideicommiſ.libert.

Quod alij deſtinatum eſt ademptum eſſe videtur. l. 24.de legatis 2.

Quod nullius eſt id ratione naturali occupanti conceditur,l.quod enim.D.de acquirendo rerum dominio

Quod mater in alimenta filij impẽdit repetere non debet.l.alimen.D.de negotiis geſtis

Quod vltra tres naſcitur fere portentoſum videtur.l. 7.D.de rebus dubiis

Quod diuini iuris eſt nullius in bonis eſt.l.1.de rerum diuiſione

Quod quiſque iuris in alterum ſtatuit ipſe eodem iure vti debet.l.1.quod quiſque iuris

Quod ab initio ſciente domino ſit poſtea non poteſt prohibere.l.ſi proprius.D.de mortuo inferẽdo

Quod ex re noſtra fit noſtrum eſt. l. de eo exhibẽdo. §.denique.D.ad exhibendum

Quod noſtrum non eſt transferimus ad alios,l.quod noſtrum.D.de vſufructu

Quod ad ius publicum attinet filiusfam. non ſequitur ius poteſtatis.l.tam quod ad ius, D.ad Sc.Trebell.

Quod in rerum natura adhuc non eſt legari poteſt. l.24.de legatis

Quod relictum eſt familiæ debetur gradatim perſonis quæ familiæ nomine continentur.l.ſuggeſtioni. C.de verborum ſignificatione

Quod omnes tangit ab omnibus debet comprobari. l.1.C.de authoritate præſtanda

Quod habet filius præſumitur ad patrem pertinere, niſi probetur de rebus ad patrem non pertinentibus.lege eius quod.Codice de pat.poteſt.

Quod principi placuit legis habet vigorem. l. 1. de conſtit.

Quod natura debetur venit in compenſationem.l.etiam.D.de compenſationibus

Quod non valet vt ago non poteſt alio modo valere.l.11.de legatis 3.

Quod natura debetur peti non poteſt : ſolutum verò non repetitur.l.1.§.1.id quod natura. D.ad legem Falcid.

Quod propter ſuam ſtultitiam hæres plus ſoluit legatariis non nocet.l.alienus.D.ad legem Falcid.1.

Quod iure hæreditatis habetur imputatur in quadrantem lege quod autem. D. ad legem Falcidiam

Quod ab initio non valet ex poſt facto conualeſcere non poteſt , lege ſeruis teſtamento Codicis de legatis

Quod extra cauſam teſtamenti capitur in Falcidiam, non imputatur,lege pater filium.D.ad legem Falcidiam

Quod iure accreſcendi acquiritur ad fideicommiſſarium pertinet lege Papinianus.D. ad SC. Trebellianum

Quoties deficit actio vel exceptio directa , vtilis datur.l.quoties.D.de præſcriptus verbis

R

Ratihabitio minoris reconciliat contractum in minori ætate celebratum.leg.1. Cod.ſi maior factus

Ratihabitio mandato comparatur. l.vero procurari. D.de ſolutionibus

Ratihabitio ad confirmationem prioris poſtulationis pertinet.lege finali. D. de bonorum poſſeſſionibus

Ratihabitio mandato comparatur, l. ſeruo. §.1.ff.ad SC.Trebellianum

Ratio non omnium quæ à maioribus conſtituta ſunt reddi poteſt.l.non omnium.D.de leg.b.

Ratione mediocritatis negotij & diſtantiæ loci commiſsio quandoque decernitur.l.cum poſt.Cod. de appell.

Re minoris vendita iure creditoris minor non reſtituitur niſi propter enorme damnum. l. etiam aduerſus.Cod. ſi aduerſus venditionem pignoris

Re ante litem moram perempta ceſſat periculum euictionis. l. ſi quis tibi ſeruum.Codice de euictionibus

Re & verbis coniunctus cæteris præfertur , lege re coniuncti D.de legatis 3.

Re principali extincta acceſſorium extinguitur, lege ſi ancillas.D.de legatis.1.

Receptator cum delinquente in pari crimine eſt.lege crimen Cod.ad l.Iul.de vi pub.&c.

Rei furtiuæ periculum ad furem qui ſemper moram facere videtur ſpectat.l.ſubtracto. Cod.de furt. & ſer.corru.

Rei turpis nullum mandatum eſt. l.ſi remunerandi. D.mandati

Rei commodatæ & poſſeſsionem & proprietatem retinemus l.rei commodatæ.D.commodati

Rei iudicatæ effectum non habet,quod interloquendo iudex iubet vetatque.l.rei iudicatæ.Codice comminationes,&c.

Rei dotalis mulier naturaliter manet domina. l. in rebus.Cod.de iure dotium

Rei alienæ emptio eſt. leg. rem alienam D. de contrahen.empt.

Rei perfectæ nihil poteſt ſuperaddi. l. nihil. C. de vind.libert.

Reipubl. intereſt mulieres dotes ſuas ſaluas habere propter quas nubere poſſunt. l. 2. D. de iure dotium

Relatio dicitur plena quando plena veritas in ea continetur. lege ſuper delictis. Cod.de relationibus

Rem furtiuam in aliena domo quærere non licet niſi ſint præſumptiones contra ipſum.l.inquirendi C.de ſeruis fugitiuis

Reos adulterij ſimul marem & fœminam ex eadem cauſa fieri,lex Iulia de pudicitia vetat ; ſed ordine peragi vtroſque licet.l.reos. C.ad l.Iul. de adult.

Repudiante inſtituto fit locus vulgariter ſubſtituto. l.hæres inſtituta. Cod. de impuberum & aliis ſubſtitut.

Rerum minoris alienatio nonniſi ex decreti interpoſitione valet. l. minorum.Cod.quando decreto

Rerum amotarum actio propter matrimonij pudorem introducta eſt.l.fin.§.ſi enim.Cod. de ſeruis corrup.

Res magis intuendæ quàm verba. l. promittendo de iure dotium

Res dicitur mea in qua ius aliquod habeo. l. talem. §,ſi quis.D.de hæredibus inſtituendis

Res geſta potior quàm ſcriptura habetur lege multum.C.ſi quis alteri vel ſibi

Res litigioſa prohibetur alienari.l.finali. D. de litigioſis

Res filij creditur eſſe patris.l.44,de legatis 1.

Res commercio hominum exemptæ legari non poſſunt.l.39.de legatis 1.

Res iudicata aliis neque mandantibus vel ratum habentibus non nocet.ul. ſi neque.C.quibus res iud.&c.

Res eadem duobus in ſolidum legari poteſt. l. 20.de legatis

Res vendita in cauſa iudicati non poteſt per debitorem euinci. l. ſi ob cauſam.Cod.de euictionibus

Res empta ex pecunia mea non eſt mea.l. ſi ea pecunia.Cod.de rei vindicatione

Res iudicata pro veritate habetur.l.ingenuum. D.de ſtatu hominum

Res inter alias acta aliis non nocet, l. vnica, C.ſi in communi eademque cauſa

Res iudicatæ ſi ſub prætextu computationis & erroris in calculo commiſsi inſtaurentur , nullus erit litium finis, l. res iudicatæ , Cod. de re iud.

Res mea pecunia ab alio comparata non eſt mea, l. ſed etſi,D.de petitione hæreditatis

Res inter alios iudicata aliis non prodeſt , l. poſthumus. §.ſi quis,D.de inofficioſo teſtamento

Res inter alias acta vel iudicata aliis non nocet, l.inter alias,Cod.res inter alios acta,&c.

Res furtiua propter vitium reale cohærens non poteſt vſucapi. l.ſi abducta, Cod.de furt.& ſeru. corrupt.

Res communis & in qua vſusfructus alienus eſt mea rectè dici poteſt,l. ſi quis,D.de legatis 3.

Res mea mihi legari non poteſt , l. 18. de legatis 2.

Res hereditariæ antequam aliquis heres exiſtat nullius in bonis ſunt,l.res , D.de rerum diuiſione

Res furtiua per legem Atiniam non vſucapitur, l.ſequitur §.quod autem,D.de vſucapionibus

Res prohibita poteſt alienari ex cauſa neceſsitatis,



tatis,l.69.§.1.de legatis 2.

Res furtiuæ reddi debent etiam pretio à ſeruo nō ſoluto, l.inciuilem,C.de ſeruo corrupto

Res facti iure ciuili infirmari non poteſt , l.1. §.ſi vere vxori,D.de adquirenda poſſeſsione

Reſpectu nocentis innocens pati non debet,l.final in fine,C.de his qui latrones

Reſpublica minorum iure vti ſolet, l. reſpublica, C quibus ex cauſis

Reſtitutio in integrum etiam contra tertium omnia in priſtinum ſtatum reponit , l.quæ reſtituitur,C.de reputationibus

Reſtitutio minoris non prodeſt fideiuſſori niſi ob dolum aduerſarij,l.ſi ea,C.de fideiuſſoribus minorum

Reuocato legato reuocatur onus legato impoſitum, l.Pamphilo,§.duas filias de legatis 2.

Reus antequam conuincatur , carcere non eſt detinendus,l.nullus,C.de exhib.reis

Ruſticitas vel imperitia non excuſat,l.1.C.de interdicto matrimonio

S

Seruitus acquiri per partes non poteſt,l.ſi fundū, D.de ſeruitute legata

Satis crudele eſſe videtur eum qui non ſentit ingratum exiſtimari,l.ſi quis ſuo teſtamento, C.de inofficioſo teſtamento

Satis eſt ſi quis in modico amici opera conſulatur,l.tutori,C.de negotiis geſtis

Satius eſt nocentem abſolui quàm inſontem damnari,l.abſentem de pœnis

Sententia lata contra abſentem non ſolenniter citatum eſt nulla,l.ea quæ, C. quomodo & quando iudex

Sententia calumniæ damnorum & expenſarum, contra actorem non proſequentem profertur , l. non ignoret,C.de fructibus & lit.expenſ.

Sententia condemnatoria ſimpliciter lata contra plures,eius effectum protendit in viriles,l,ſi non ſinguli,C.ſi plures vna ſent.&c.

Sententia lata contra tutorem qui non habet adminiſtrationem eſt ipſo iure nulla, l. ſi tutor, C. in quibus cauſis

Sententia lata contra abſententem probabili & neceſſaria cauſa legitime citatum valet , ſed reſtituitur,l.cùm non voluntatis,C.quomodo & quādo iudex

Sententia lata contra ius conſtitutionis eſt ipſo iure nulla, ſecus ſi contra ius litigatoris, l.ſi cùm inter,C.quando prouo.non eſt neceſſe

Sententia inter alios dicta aliis nocet , l. Papinianus §.ſi ex cauſa,D.de inofficioſo

Sententia proferenda prout religio ſuggerit,l.eum quem,§.iudicibus,D de iudiciis.

Sententia prouocatione inſtituta ſuſpenditur, l.in ratione,§.quidam,D.ad legem Falcidiam

Sententia ab incompetente iudice lata eſt,ipſo iure nulla, l.1.C.ſi à non competen.iud.

Sententia lata ex falſis inſtrumentis vel atteſtatis teſtium, reuocatur falſo probato,niſi de falſo fuerit iudicatum,l.ſi tabulas,C.ſi ex falſis inſtrumētis,&c.

Sententia nulla impendit ordinarium iterum ſuper eodem cognoſcere, l. ſi præſes,C.quomodo & quando iudex &c.

Sententia neque propria neque prædeceſſoris retractari poteſt,nec quidem prætextu reſcribi, l.1. & l.fin.C.ſen.reſcin.non poſſ.

Sententia lata à corrupto iudice iure non ſubſiſtit, l. venerabiles , C. quando prouocare non eſt neceſſe

Sententia debet eſſe libello cōformis, alias iniuſta eſt,l.cum quidam,C.de fideicom.libert.

Sententiam pro ingenuitate dictam colluſionis prætextu ſemel retractare permittitur l. finali, D.de colluſione detegenda

Sententiis finita negotia reſcriptis reuocare non oportet,l.ſententiis,C de errore aduocatorum

Separatio diſſoluit legatum,l.item legato,§.ſi vxori,D.de legatis 3.

Seruitus vſu retinetur per ſe vel per alium, l. vſu, D.quemadmodum ſeruitutes amittantur

Seruile caput nullum ius habet,l.liberos,§. emancipato,D de capite minutis

Seruitus perſonalis ad heredem non tranſit, l. non ſolum de liberatione leg.

Seruitus ſine prædio conſtitui non poteſt , l. 1. D. communia prædiorum

Seruitus ita demum valet prædio impoſita ſi vtilitatem aſſerre poſsit,l.quotiens,etſi fundo , D.de ſeruitutibus

Seruus natalibus reſtitutus ingenuus fuit, l. 1. 2.& 3.D.de natalibus reſtituendis

Seruus ſucceſſores habere non poteſt , l. ſeruus, C. communia de ſucceſsionibus

Seruus pignori datus manumitti non poteſt, l. ſeruum,D.qui & à quibus

Seruus manumiſſus in ſeruitutem rediens nouus homo videtur,l. libertus de adimendis legatis

Seruus capax eſt naturalis obligationis,l.eo tempore,de peculio

Seruus hereditarius & heredi futuro & hereditati recte ſtipulatur,l.ſeruus,D.de ſtipulatione ſeruorum

Seruitus longi temporis præſcriptione inducitur niſi fuerit interrupta.l.ſi aquam, C.de ſeruitutibus & aqua

Seruus fugitiuus fugiendo ſui ipſius furtum facit, l.1.C.de ſeruis fugitiuis

Si res obligata venditur,tranſit cum ſua cauſa,l.ſi prædium,C.de euictionibus

Si ea quæ geſta ſunt ipſo iure non ſubſiſtunt,fruſtra in integrum reſtitutionis auxilium deſideratur, l,in dubium, C.de tutoribus vel curatoribus qui non ſatis dant

Si portio grauato accedit grauato fit contributio l. 61.de legatis 2.

Si vnus ex pluribus appellauerit , ſi cauſa ſit communis & defenſionis paritas, aliis etiam non appellantibus prodeſt,l. ſi iudici. C.ſi vnus ex pluribus &c.

Si quis alienam rem aduerſus domini voluntatem attigerit, furti actione tenetur, l. cum quærebatur,C vnde vi.

Si ſciens quis indebitum ſoluit,ceſſat repetitio , l. 1.D.de condictione indebiti

Sicuti dos data ita acceptilata repeti poteſt , l. in his rebus,§.ſi vix,D.ſoluto matrimonio

Sicuti à parentibus liberi , ita à liberis parentes inopia laborantes ſuſtentandi ſunt , Nouella, 117.

Sine culpa pœna non infligitur, l. ſancimus, C. de pœnis

Sine poſſeſsione vſucapio contingere non poteſt,l. ſine poſſeſsione,D.de vſucapionibus

Sine ſolo ædificium conſtare non poteſt,l. 81.de legatis 7.§.qui fundum

Sine permiſſu principis aqua per viam publicam duci non poteſt, l.ſi in publico, D. de aqua pluuia

Sine tutoris auctoritate pupillus obligari non poteſt

Sine heredis inſtitutione nihil in teſtamento ſcriptum valet,l.1. D.de vulgari ſubſtitutione , §.in fin.

Singulæ cauſæ ſingulas obligationes ſequuntur, l.& an eadem,D.de exceptione rei iudicatæ

Societas maleficiorum nulla eſt, l.1.§.plures,D.de tutelis & rationibus diſtrahendis

Societas non eſt vt tantum alter lucrum alter damnum ſentiat,l.ſi non fuerit,D.pro ſocio

Societas ius fraternitatis quodammodo in ſe

habet,l.verum eſt,D.pro ſocio

Species eximitur de genere, l. ſi periculum, D. de manumiſſis teſtamento

Species derogat generi, l. 45. §. item quæro, D. de vulgari & pupillari

Spei emptio eſt etſi nulla res quæ veneat, intercedat, l. nec emptio, D. de contrahenda emptione.

Spes rei vendi poteſt vt in rebus & hereditatibus, l.nam his.D.de hereditate vendita

Spes facilius remittitur quàm res ipſa, l.vnum,§ ſi rem de legatis

Simplex donatio inter ſponſum, & ſponſam cenſetur eſſe ſponſalitia largitas,l.cùm veterum,C.de donationibus ante nuptias

Statuliberorum iura per heredem fieri non poſſint duriora, l. ſtatuliberorum, D. de ſtatuliberis

Stellionatus accuſatio inter crimina publica non habetur,l.ignorantia de crim.ſtellionat.

Sterilitas cum fertilitate ſequentis anni compenſari debet, l. ex condicto, §. Papinianus, D. locati

Stultis non ſuccurritur ſed errantibus, l regulam, §.nec ſtultus,D.de iuris & facti ignorantia

Sub ſpecie nouorum inſtrumentorum poſtea repertorum:res iudicatas inſtaurari exemplo graue eſt, l.ſub ſpecie,C.de re iud.

Subſtitutio facta legitimis vel naturalibus tacitam habet ſubiunctam conditionem. l. generaliter,§. cùm autem, C. de inſtitutionibus, & ſubſtitutionibus

Subſtitutio vulgaris expirat adita hereditate, l. precibus, C. de impuberum & alijs ſubſtitutionibus

Subſtitutio non præfertur iuri accreſcendi,l. 30.de pupillari ſubſtitutione

Subſtitutus cum ſuo onere conſequitur adcreſcentem portionem,l.61.de legatis 2.

Succeſſionis priuilegium factum legitimum prædeceſſoris non reſcindit,l.quæ à patre,C.de tempo.in integrum reſtitut.

Succurritur tutori qui infantem defendit vt in pupillum actio detur, l. tutori quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri poſſint.

Superficies cedit ſolo,l.ſi area,D.de legatis 2.

Superficies ſequitur ius ſoli,l.Paulus, §. domus,D. de pignoribus

Superueniente dominio pignus antea inutiliter conſtitutum confirmatur, l. rem alienam, D. de pigneraticia actione

Suus heres delatam ſibi eſſe hereditatem ignorans longi temporis præſcriptione non remouetur, l. licet,C.de iure delib.

T

TAcita & præſumpta pupillaris nō excludit matrem niſi ſit probata coniecturis,l.in teſtamēto,C.de teſtamento militis

Tacita pupillaris ſubſtitutio à ſucceſſione luctuoſa filij matrem non excludit, l.cùm quidam, C. de inſtitutionibus & ſubſtitutionibus

Taciti & expreſſi eadem eſt natura & ratio, l. cum quid,D.de rebus creditis

Tam labor quàm pecunia diuiſionem recipiunt,l. Seia,D.de annuis legatis

Tam is qui teſtamentum facit quàm is qui non facit mortis cauſa donare poteſt, l. tam is, D.de donat.

Tantum valet genus quoad omnia quantum enumeratio ſpecierum, l. omnes.C.de præſcr.30. vel 40. ann.

Temporales actiones litis conteſtatione perpetuātur, l. aliam cauſam,D.de nouationibus

Temporariæ actiones poſt litem conteſtatam perpetuantur,l.nam poſteaquam,D.de iureiurand.

Teſtamenti factio cum ſeruis alienis ex perſona dominorum eſt,l.finali de ſer.legat.

Teſtamenti factio non priuati, ſed publici iuris eſt, l. teſtamenti, D. qui teſtamenta facere poſſunt

Teſtamentum confirmatur teſtibus adhibitis, l 14. D.de rebus dubiis

Theſaurus donum fortunæ creditur, l.ſi is qui,D. de adquirendo rerum dominio

Titulus crediti violentiam non excuſat,l.in poſſeſſionem, C.ad l.Iul.de vi pub.&c.poteſt ciuiliter & criminaliter accuſari,l ſi quis.eod.

Tolle voluntatem de medio,& omnis actus eſt indifferens,l.fœdiſsimam,C ad l.Iul.de adul.

Tollitur facilius ius ſpeciale quam commune, l. eius,§.1 de militari teſtamento

Tot ſunt legata quot annuæ præſtationes, l.ſi cum ſingulos,D.de annuis legatis

Toto aliquo pignerato & pars pignerata cēſetur,l. domo,ff.de pigneraticia actione

Traditio clauium habetur pro dominij tranſlatione,l qua ratione,§ item ſi quis, D de adquirendo rerum dominio

Traditio & patientia ſeruitutum inducit officium prætoris,l 1.D de ſeruitutibus ruſticorum

Traditionibus non contractibus dominia transferuntur, l. qui tibi, Cod. de iis qui à non domino

Tranſactio facta nudo pacto tollit actionem ope exceptionis,l.ſi ſuperſtite,C.de dolo

Tranſactio facta per acceptilationem ipſo iure tollit actionem,l.ſi ſuperſtite C.eodem

Tranſactio cum vno facta alteri non præiudicat,l. inter alios,C res inter alios acta &c.

Tranſactio eſt modus tollendæ obligationis & actionis competentis,l.poſt deciſionem,C.de ſeru. corrup.

Tranſactio poſt rem iudicatam nullius momenti eſt,l.eleganter,D.de condictione indebiti

Tres denunciationes obtinent vim peremptorij, l. tres.C.quomodo & quando iudex

Tria faciunt ceſſare euictionem, omiſſa denunciatio,emptoris, eius abſentia,& iudicis iniuria, l. emptor fundi,C.de euictionibus

Triennalis præſtatio coniecturam perpetuæ obligationis inducit,l 1.C.de fideicommiſsis

Triſtes euentus non facile conſiderandi,l. inter,§. ſacram de ſtipulationibus

Tum prius teſtamentum rumpitur cùm poſterius rite perfectum eſt,l.2.D.dē iniuſto rupto

Turpia lucra ab heredibus extorquere licet, l. in heredum,D.de calumniatoribus

Tutela ſine vinculo cautionis non committitur, l. ſi impuberi, D. de tutoribus & curatoribus

Tutela teſtamentaria non cedit legitimæ,l ſi tutores,C.de teſtamentaria tutela

Tutelæ munus licet publicū ſit non tamen eſt munus reipublicæ ſed ciuile,l.ſi duas,§.tutela de excuſationibus

Tutelæ actio tam hæredibus quàm contra heredes competit,l.tutelæ,C.arbitrium tutelæ

Tutor domini loco habendus,l. tutor, D.de adminiſtratione tutorum

Tutor incertus dari non poteſt, l. tutor.D.de tutelis

Tutoris officium ex ſola voluntate pupilli non finitur,l.tutoris,C.quando tutor

Tutorem habenti tutor dari non poteſt, l. item fiat,D.de tutelis

Turpes ſtipulationes nullius ſunt momenti, l.generaliter,D.de verborum obligationibus

V

VAlet traditio licet tradens & accipiens circa cauſam tradendi diſſenſerint,l.cùm in corpus, D.de adquirendo rerum dominio

Vana



Vana formido meticuloſo non patrocinatur, l. ſi contra,C.de his qui prop.met.&c.

Varietate ſucceſſorum & conſenſu dominorum poſſunt agrorum termini mutari,l.ſucceſsionum, C.finium regundorum

Vbi nulla eſt alienatio,minor reſtitutione in integrum non eget.l. ſiquidem & l. 2. Cod. quando decreto

Vbi eſt inopia ibi nulla actio, l.nam is, D.de dolo

Vbi abſurdum ſequitur ibi à contrario ſenſu argumentum non accipitur, l.cùm paterfamilias, C. de his quæ ſub modo

Vbi non eſt communio ibi non poteſt eſſe diuiſio, l. familiæ erciſcundæ, C.communia vtriuſque iudicij

Vbi ciuilis datur actio non competit honoraria, l.& ita,§.miratur,D.nautæ caupones

Vbi diſſonantes ſunt iudicum ſententiæ pro re fauorabili pronuntiandum,l.lege Iunia Petronia, D de manumiſsionibus

Vbi directa actio locum non habet,vbi ex æquitate vtilis competit,l.hac lege, Cod.de pactis conuentis

Vbi lex ipſo iure producit effectum non eſt neceſſarium officium iudicis,l.minoribus, C.in quibus cauſis

Vbi appellatio per lapſum fatalium eſt deſerta,ſententia datur executioni, niſi interim ſit tranſactum,l.ſi contra,C.de appellat.

Vbi lex agri non inuenitur, vetuſtas vicem legis obtinet,l.1.§.denique D.de aqua pluuia

Vbi verborum ambiguitas eſt, valet quod actum eſt,l.vbi eſt,D.de rebus dubiis

Vbi nulla eſt ambiguitas non debet admitti volūtatis quæſtio l.25.de legatis 3.

Vbi deficit plena probatio recurrit ad veriſimilia, C.qui & aduerſus quos

Vbi contractus non valet pro certo prætor non debet ſe interponere.l.16.D.de minoribus

Vbi requiritur ſolennitas, ea omiſſa, non valet actus,l.non nudo,C.de emancipat.lib.

Vbi lex inhibet vſucapionem,bona fides poſsidenti nihil prodeſt, lege vbi lex, D. de vſucapionibus

Vbicumque æquitas ſuadet ſubueniendum, l. diuus de in integrum reſtitutionibus

Velle videtur teſtari,qui heredem inſtituit, l. non codicillum.C.de teſtam.

Venditor prius debet tradere antequam petat pretium, lege qui pendentem, D. de actionibus empti

Venditio non eſt ſine pretio. l. 49.§. meminiſſe de legatis 1.

Verba legati referuntur ad tempus teſtamenti conditi,l.vxorem,§.teſtamento de legatis 3.

Verba enuntiatiua teſtatoris non inducunt diſpoſitionem in præiudicium tutoris,l.1.C. arbitriū tutelæ

Verba iudicis ad intellectum legum referri debent,l.1.C.de fructib & lit.expenſ.

Verba in ambiguo in humaniorem partem ſunt accipienda,l.cum apud,C.de com.ſer.manu.

Verba ſui natura iniurioſa præſumitur animo iniuriandi prolata, niſi contrarium probetur, & hæc actio anno tollitur,l.ſi non conuiciis,C.de iniuriis

Verba generalia reſtringuntur ex conjectura voluntatis,l.88.§.Lucius de legatis

Verba in iure cum effectu ſunt accipienda, l. cum ei de legatis 2.

Verborum ſolemnitas in legatis non obſeruatur,l. in legatis,C.de legatis

Verbum iudicis indiſtincte prolatum,neceſsitatem non importat,etiam ſcriptum in actis,l.interlocutio,C.comminationes &c.

Veritas inuentarij inſpicitur, nec probatio in contrarium admittitur, lege veteris, Cod. arbitrium tutelæ

Veritas opinioni præualet, l. pro emptore. D.pro emptore

Veritas rerum erroribus geſtarum non vitiatur, l. 6.§.veritas de officio præſidij

Veritatis ſubſtantia falſa demonſtratione mutari non poteſt,l.cum falſa, Cod. de iuris & facti ignorantia

Verus contumax non appellat, l. 1. C. quorum appel.non recip.

Vnicuique licet contemnere quæ pro ſe introducta ſunt,l.ſi iudex,D.de minoribus

Vetuſtas minuēdarum litium cauſa ſemper pro lege habetur,l.in ſumma,D.de aqu.pluu.

Vim vi repellere licet,l.ſed & partus, §. quæri poterit quod metus cauſa

Vim vi repellere licet ad defenſionem,& cum moderamine inculpatæ tutelæ, non autem ad vindictam,l.1 C.vnde vi.

Vini venditi periculum ad emptorem pertinet niſi aliter conuenit, l.1.D. de periculo & commodo rei venditæ

Vino legato acetum continetur, l.1.D.de vino legato

Violanti fidem fides non ſeruanda, l. cùm proponas,C.de tranſactionibus

Violenta præſumptio quam lex pro plena probatione habet,æquiparatur confeſsioni partis, l. qui adulterij,C.ad l.Iul.de adult.

Viro vergente ad inopiam dos poteſt exigi conſtante matrimonio, l. vbi adhuc. Cod. de iure dot.

Vitium paternum eſt refrænandum, l.cuidam,C.de naturalibus liberis

Vituperatio patris filios non infamat,l.ea quæ pater,C.ex quibus cauſis

Viuentis non eſt heres,l.opinione

Qui nō poſsidet,nullo tempore præſcribit,vel qui pro alio poſsidet,l.male igitur, Cod. de præſcr. 30 vel 40.ann.

Volenti neque vis neque iniuria fit,l.cum donatione,C.de tranſactionibus

Volenti non fit iniuria, l. in diem,§D. de aqua pluuia

Voluntas potior eſt ſubtilitate verborum,l.heredes mei.§.cum ita fuerit ſcriptum, D. ad SC. Trebellianum

Voluntas defuncti debet obſeruari in faciendo ei monumento,l militis,C de religioſis

Voluntas militis in expeditione occupati, pro iure ſeruatur,l 1.C de teſtamento militis

Voluntas præfertur ſcripturæ, l. 16. D. de legatis 10.

Voluntatis defuncti agnitio querelam inofficioſi excludit, l. de donationibus, C. de inofficioſis donat.

Voluntatis eſt ſuſcipere mandatum, neceſsitatis conſummare,l.in commodato. §. voluntatis, D. commodati.

Voluntates defunctorum potius ſunt adiuuandæ quàm impediendæ,l.quidam, C. de poſtumis heredibus

Voluntates legitime contrahentium omni modo ſeruandæ,l.de ſocietate,C.pro ſocio

Voluntas contrahentium magis quàm verborum conceptio attenditur, l. ſi. C. quæ res pignori oblig.

Voluntariæ tutelæ munus priuilegiis non derogat,l.voluntariæ,C.de excuſationibus

Vſque ad 4. gradum conſanguinitatis nuptiæ iure ciuili ſunt prohibitæ,l.nemini,& l.celebrandis, C.de nuptiis

Vſucapio vel præſcriptio ſine iuſto titulo non procedit,l.Nullo iuſto,C.de rei vindicatione

Vſucapio introducta eſt vt aliquis ſit litium finis, l.finali.D.pro ſuo

Vſurarum vſuræ præſtari non debent, l. ſancimus, C de vſu rei iud.

Vſuræ conceduntur quatenus probabilem mo-

dum non excedunt, l. ſi legatum,§.ſi cui de annuis legatis

Vſusfructus perſonæ adcreſcit etſi fuerit amiſſus,l. interdum,ff.de vſufructu

Vſusfructus conſtitutus morte intercidere ſolet, l. vſumfructum,ff de vſufructu legato

Vſusfructus diuiſionem recipit,l.ſed vſusfructus,ff. ad legem Falcidiam

Vſusfructus eſt ius in corpore quo ſublato & ipſum tolli neceſſe eſt,l.2.D.de vſufructu

Vſusfructus portionis inſtar obtinet,l.76.§.2.de legatis 2.

Vſufructuarius præſtita cautione,vtetur re arbitrio boni viri,l.vſufructu,C.de vſufructu

Vſufructuarius proprietatem non præſcribit, l.neque fructuarium,C.de vſufructu

Vſusfructus eſt pars fundi,l.qui vſumfructum.ff.de verborum obligationibus

Vſusfructus ad heredem heredis tranſire non poteſt ;l.Sempronius,ff.de vſufructu legato

Vſusfructus, à fructuario cedi non poteſt niſi domino proprietatis,l.ſi vſusfructus, ff.de iure dotium.

Vt eiuſdem facti plures actiones ita plures obligationes eſſe poſſunt,l.1.§.in tut.verſicu.qui etſi,ff. de tutelis & rationibus diſtrahendis

Vt heredibus ita legatariis,ſubſtitui poteſt,l.50. de legatis 2.

Vt patris conſenſus in copulando matrimonio, ita in diſſoluto reparando requiritur, l.ſi vt propoſnis.3.C.de nuptiis

Vtile eſt augeri remp.& multis hominib. frequentari,l.Ambiguitates,C.de indicta viduitate

Vtiles impenſæ non minuunt dotem ſed habent exactionē,l.voluptuariæ,ff.de impenſis in res dotales factis

Vtilitatis cauſa receptum vt iudicium infantis ſuppleatur authoritate tutoris, l.quamuis, ff. de acqu.poſſ.

Vtiliter libertas data facto heredis non perimitur, l.Stichum,ff.de manumiſſis teſtamento.

Vtimur ad neceſſitatem tantum fruimur ad voluptatem & commoditatem, l. cæterum de vſu & hab.

Vxoris abortu teſtamentum mariti non ſoluitur. l. vxoris.C.de poſthumis heredibus

FINIS.

INDEX

# INDEX MATERIARVM APVD DOCTORES IVRIS NON SVIS locis tractatarum.

*Ioannes Hennequinius Iuris vtriuſque Doctor Lectori.*

Quoniam plerumque ſolent Doctores noſtri,quibuſdam locis(licet minus commodè)quaſdam materias tractare quas iis locis, quibus opportunè tractari poterant, conſultò omiſerunt, ne bis idem inculcarent,operæpretium duxi præcipua loca hîc addere, in quibus materiæ illæ à Doctoribus pleniore ſtilo & ſolenni vt inquiunt apparatu communiter diſcutiuntur.


A

ABſentiarum materia tractatur, in l. inter minores, de in integrum reſt.

Actionum vtilium ſedes in l. 1. de oblig. & actionib.

Actionis negatoriæ & confeſſoriæ in l.ſi prius de oper.no.nuncia.

Alienationis prohibitæ in l.filiusf.§.diui de leg.1.

Alimentorum in l.Mela.de ali.& ciba.lega.

Arbitrorum & arbitratorum in l. ſi quis arbitratu de ſtipul.ſeu verb.oblig.& in l. ſocietatem,§.arbitratorum pro ſocio.

Arbitrariarum actionum in l.actionibus de in litem iurando.

Argumentorum in l.conuenticulam, C.de epiſcopis & clericis.

Argumenti à contrario ſenſu in l.1.de off.eius &c.

B

BReuiloquæ ſeu reciprocæ ſubſtitutionis in l. Lucius de vulg.& pupil.ſubſt.

Beneficium principis in l.finali de conſt.princ.

C

CAlculationis ſeu computationis in l.inſtar, C.de iure fiſci,lib.10.

Ceſsionis in l.Modeſtinus,de ſolutio.

Citationis in l.de vnoquoque,de re iud.

Clauſulæ codicillaris in l.1.de iur.codicillo.& in authent.ex cauſa in fine C.de lib.præt.

Clauſulæ derogatoriæ in l.ſi quis in principio de legat.3.

Collationum,in auth.ex teſtamento.& in l.ſi emancipati,C.de collation.

Collectarum & vulgò talearum,in l.placet, C.de ſacroſanctis eccleſ.& in l.eam quæ Co. de mulier.& in quo loc.lib.10.

Compendioſæ ſubſtitutionis,in l.cent.de vulg.

Conſilij & auxilij ,in l.furti,§.ope.de furt.

Contractuum ante vel poſt delictum , in l.poſt contractum,de donation.

Cumulationis,emēdationis & mutationis actionum, in l.edita,C.de edend.

Cumulationis petitorij & poſſeſſorij, in l. naturaliter,§.nihil commune de acquir.poſſeſſ.

D

DAtionis in ſolutum,in l.à Diuo Pio,§.ſi pignora,de re iudic.

Defenſionis,in l.vt vim.de iuſt.& iur.

Dilationum in l.fin.de feriis

Diuiſionis in l.qui Romæ,§.duo fratres de ſtip.

Donationis omnium bonorum,in l. ſtipul. hoc modo de ſtipul.

E

EMptionis fructuum,in l.cotem, §. qui maximo de publ.

Æquiparatorum vel adæquatorum,in l.1.de leg.1.

Exceptionum impedientium litis ingreſſum in l. vir bonus iud.ſol.

Exceptionis de iure tertij,in l. 2.de exce.rei iu.

Expenſarum litis in l.properandum , §. ſiue autem alterutra,C.de iud.

Extenſionis in l.Gallus,§.& quid ſi tantum,de lib.& poſthum.

F

FAmæ,in l.de minore,§.tormenta,de quæſt.

Fictionum in l.ſi is qui pro emptore de vſucap.

Filiationis,in l.filium diffinimus de his qui ſunt ſui vel alien.iu.in l.ſi vicinis.C.de nuptiis,

Fluminum,molendinorum,& regalium, in l. quomodo ius de fluminum.

Fructuum,in l.in fideicommiſſaria ad Trebel.

G

GRauaminis per fideicommiſſum,in l.cùm filio de leg.1.& in l.ab eodem,C. de fideicom.

H

HOmicidij in l.damni,§.Sabini,de damn. infect. in l.1.ad l.Cornel. de ſicar.

I

INſinuationis,in l.Modeſtinus de donation.

Interrogatoriorum,in l.vbicumque,de interro.actio.

Intereſſe,in l.vnic.C.de ſentent.quæ pro eo: & in l. quatenus de regulis iuris.

Iuramenti ſuppleturi,in l.admonendi de iureiur.

Iuramenti in litem,in l.nummis de in litem iurando.

Iuramenti calumniæ,in l.qui bona , §. ſi alieno de damno infecto.

Iuriſdictionum,in l.Imperium de iuriſd.om.iud.

L

LAtæ culpæ,in l.quod Nerua depoſ.

Legitimæ,in auth.nouiſsima,C.de inoff. teſtam.

Legitimationis,in l.Gallus , §. & quid,ſi tantum,de lib.& poſthum.

# Index materiarum.


M

MOdi, in l. quibus, §. Thermillius, de condit. & demonſtrat.
Moræ, in l. ſi inſulam, de verb. oblig. ſeu ſtipul.
Mortis naturalis & ciuilis, in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, de lib. & poſth.

N

NAturalis obligationis in l. frater à fratre de cond. indeb.
Nobilitatis, in l. 1. C. de dignit. lib. 12.
Nominis proprij & appellatiui, in l. ſi quis in fundi de leg. 1.

O

OBlationis, in l. acceptam, C. de vſu.
Obligationum facti, in l. ſtipulationes non diuiduntur de ſtipulat.
Ordinis, in l. 2. §. prius de vulg. & in l. prolatam, C. de ſentent.
Ordinis ſucceſsiui ex teſtamento, in l. Gallus, §. quidam rectè, de lib. & poſth.

P

PAbuli ſiue pactionis, in l. non ſolum. §. ſed vt probari de ope. no. nuncia.
Pacti de hæreditate viuentis, in l. fin. C. de pac.
Pacti de retrouendendo, in l. 2. C. de pact. inter emp. & vend.
Pacti nudi, in l. iuris gentium, §. ſed cùm nulla. de pac.
Primi & ſecundi decreti, in l. ſi finita, §. Iulianus de damno infecto
Probationum omnium, in l. admonendi. de iureiur. & in rub. C. de probatio.
Prodigorum, in l. is cui de ſtipulat.
Proteſtationum, in l. non ſolùm, §. morte, de oper. no. nuncia.
Pupillaris ſubſtit. in l. 2. de vulg. & pupil.

Q

QVartarum, in l. in quartam, ad l. Falcidiam, & in l. Filium, C. famil. erciſc.

R

RElatiuorum, in l. 1. in princ. C. de ſumma trinit. & in l. Stichum qui meus erit de leg. 1.
Remiſsionis penſionum, in l. coemp. §. fin. de publ.
Remiſsionis fideicommiſsi in l. 1. C. de pact.
Renunciationis iuris futuri, in l. qui ſuperſtitis, de acquirenda hæreditate & l. pactum quod dotali C. de pact.
Repetitionis dotis conſtante matrimonio, in l. ſi conſtante ſolut. matrim.

S

SEntentiæ interlocutoriæ, in l. quod iuſsit. de re iu.
Solennitas intrinſecæ, & extrinſecæ, in l. ſciendum, de ſtipul.

T

TEſtamenti inter liberos, in l. hac conſultiſsima, §. ex imperfecto, C. de teſtam.
Teſtamenti ad pias cauſas, in l. 1. C. de ſacroſ. eccleſ.
Tranſmiſsionis, in l. ſi infanti, C. de iure deliber.

V

VAloris & augmenti monetæ, in l. Paulus de ſolutionibus.
Variationis in l. de rebus rerum amot. & in l. ſerui electione de leg. 1.
Verborum enunciatiuorum, in l. ex hac ſcriptura de donation.
Vſurarum, in l. curabit, de action. emp. & in l. centeſimis de ſtipulat. & in l. lecta, ſi cert. pet.
Vulgaris ſubſtitutionis, in l. 1. de vulgari & pupillari.


FINIS.